QUÆSTIONES MEDICÆ.

Circà Thermas Borbonienses.

Quas, Deo Duce, favente Virgine Deïparâ, ac Præside Nobili, Clarissimo, Consultissimoque Domino D. RENATO CHARLES, *D. M. in Academia Bisuntina Medicæ Facultatis Professore Regio, propugnabit* D. ANTONIUS DUPORT, Borboniensis, Medicinæ Licentiatus, *in publico illius Academiæ Auditorio, die* 16. *Aprilis* 1721. *horâ octavâ matutinâ.*


AD DOCTORATUS LAUREAM IN MEDICINA CONSEQUENDAM.

EX MANDATO MAGNIFICI DOMINI D. RECTORIS.



VESONTIONE,

Typis NICOLAI COUCHE' & FRANCISCI GAUTHIER, Universitatis Regiæ Typographorum.



QUÆSTIO MEDICA.

An pleriſque Morbis chronicis Aquæ Thermales Borbonienſes in Campaniâ.

I.

MISERANDA prorsùs hominis conditio ! ejus interdùm ortui tam citò ſuccedit occaſus, ut cùm propè naſcitur, tum incipiat mori : ſi cui verò diuturna lucis uſura conceditur, hunc tot committi periculis, tot conflictari morbis evenit ; ut hominis conſervatio haud minùs ſtupendum ſit prodigium, quàm ejuſdem creatio. Quis varia morborum quibus vita labefactatur, genera recenſeat ? illorum motum vel durationem attendis ? præcipuam eorum habes differentiam. Sunt enim omnes affectus, aut breves ſeu acuti, aut longi ſeu chronici : acuti, cùm laxis, ut ita dicam, habenis ad terminum nos impellunt, divinæ particulam auræ velociùs acerbiùſque perturbant, roridamque corporis ſubſtantiam citiùs avidiùſque depaſcunt. Chronici verò, teſtudineo quaſi gradu ſuum percurrentes ſtadium, ſuo corpus genio ſenſim defraudantes, animalem œconomiam funditùs evertentes, viribus tandem paulatìm abſumptis, lethales inferunt noxas. Miraris fortè infirmam hominis valetudinem ? mirari deſines ; ubi, quæ vitam fovent, iiſdem illam deſtrui reputabis. Miraris caducam corporis ſtructuram ? quin potiùs mira-

ris assiduam Dei quasi nautæ regentis opem, quâ fit ut in procelloso illo morborum æquore, ratis usque adeò fragilis tandiù durare possit. Quidquid sit, organica corporis humani fabrica ritè perspecta in morbosarum cognitionem causarum quasi manu te deducet.

Corpus humanum dixeris esse mirum quoddam automa, ex solidis & fluidis partibus conflatum, quarum ministerio mechanicè suas obit functiones. Divini illius automatis speciem dùm consideras extimam, scita & ordinata variorum compages organorum apparet: si verò intimam perscrutaris; quid aliud est, quàm tubus quidam in varia complicatus viscera, in diversos divisus tubulos, qui deindè in ramulos luxuriantur ac diffunduntur innumeros? oculis microscopio priùs armatis (vasorum enim exilitas linceorum etiam oculorum aciem effugit) mirabilem hanc compagem intuere: ecce tibi sese objicient in hepate, glandulæ, ductus, vasaque plurima: in liene infinitæ cellulæ: in renibus substantia instar cribri, crebris foraminibus pertusa: in pulmonibus innumeri tum canaliculi, tum vesiculæ: in cerebro sinus, dædali, anfractus, meandri: in reliquis deniquè partibus, tot tamque diversæ vasorum ramificationes, ut in singulis propè attonitus hæreas; hic arteriolas, illìc venulas efformant; hìc globulos, illìc glomeramina; hìc vascula alia bene multa capillos parvitate, figurâ, numero imitantur. Jam quæ illis in partibus continetur substantia? non alia quàm fluida, sed quæ perenni ac certo constantique motu suum absolvit aut debet absolvere circulum, ut ritè functiones obeantur, ut debitè secretiones perficiantur, ut uno verbo sanitas incolumis servetur. Quanta igitur in fluidis exigitur subtilitas? at quàm æqualis solida inter & fluida debet esse proportio! quàm justum inter ea æquilibrium! ut sit liber liquidorum circuitus: quæ omnia cùm possint temporis puncto depravari, quàm inopinæ, Deus Immortalis! quàm subitæ! quàm frequentes morborum causæ! denegatâ siquidem fluidis subtilitate, ac sublato solidorum fluidorumque æquilibrio, sanguis tunc stagnat in vasis, cœnoso flumini haud absimilis obices sibi ipsi objicit, & inspissatus impedito per partium meandros ejus circulo, in vas-

culis & viſcerum poris ſtabulatur & putreſcit ; nam

Citò putreſcunt , ni moveantur aquæ.

Ac proindè ſecretionum tarditas, imò & obſtrúctiones in vaſculis, in glandulis concretiones, in viſceribus tumores, abſceſſus ſchirri & chronicorum ilias affectuum.

Diverſas chronicorum morborum cauſas referri compertum eſt. Qui frigidæ intemperiei cum Galenicis, imminutæ fermentationi cum Vvilliſianis, fibrarum laxitati cum Baglivianis illas adſcribunt, hi diverſa quidem adhibent vocabula, at rem unam eandemque concipiunt. Diverſitas opinionum tota eſt à diverſitate principiorum. Qui ſolidas tantummodò vel fluidas partes velut morborum effectrices incuſant, alterutri principiò nimis imponunt ; in utriuſque vitio morbus conſiſtere poteſt ; ſolidorum morboſa cauſa dicitur eſſe tenſio & laxitas, fluidorum autem diſſolutio & concretio ; illam acutos, hanc chronicos creare morbos nonnullorum mens eſt. Quemadmodùm verò unica cauſa varios effectus, ita maſſæ ſanguineæ concretio varios etiam producere ſolet affectus, à concretione quidem præcipua chronicorum materies morborum, quorum ſanè non eadem ſpecies, non eadem diuturnitas. Alii quidem contumaces vulgaribus remediis cedere neſciunt, tardi verò alii non ſolúm ad integros menſes, ſed ad plures, eoſque ſolidos annos protrahuntur : adeò ut Ægri ſic divexati, mortem potiùs quàm talem vitam lubentiùs expetant. Hinc juges ac continuæ adversùs Medicos querelæ. Hinc inexplebilis remediorum ſitis, quorum vis in hiſce morbis ita effœta ac inefficax eſt, ut pharmaceuticum potiùs exhaurias fontem, quàm eorum languores valeas mitigare. Quò te igitur convertes ? ad Thermas, in quibus velut in ſalutari piſcinâ miſeris mortalibus Deus Optimus Maximus præſentiſſimum paraſſe videtur remedium.

II.

NEque verò ad Thermas reperiendas aut trajicienda ſunt nobis maria, aut longinquæ Regiones percurrendæ. Gallia ipſa Thermas offert circiter quinquaginta ; ut enim cæteris propè Regnis omnibus una eademque pretioſiſſimis naturæ donis : ita Thermarum frequentiâ & virtute eſt longè ſupe-

rior. Singulis sua laus est, nec de ullâ quidquam detrahi absque veritatis injuriâ potest. Hoc in numero sunt Borbonienses in Campaniâ, Borbonienses tum Arcembaldicæ, tum Anselmienses, Vichienses, Montis aurei, Bellicucanæ, Barregienses, Bagnerenses, Dinienses, Luxovienses, *&c.* Thermarum autem illarum si quis est prudens æstimator, cæteris omnibus illas quas exhibet Borbonium in Campaniâ longè præferret, non eò solùm quod Ægrorum concursu frequententur, sec quòd etiam virtutum mirabili congerie nobilitentur. Vis alvum ciere? benignum suppeditabunt catharticum, cupis urinas movere? innocuum præbebunt diureticum? sudores elicere conaris? blandum exhibebunt diaphoreticum: viscerum obstructiones reserare, penitiores eorum recessus pandere, concreta in ipsis impacta subigere suscipis? securum tibi largientur ecphracticum. Tanta est in aquis istis thermalibus, vel ad potum solum, nedùm ad balneationem adhibitis, virtutum multiplicitas? tam præsto est in illis simpliciter epotis remedium! & illud quidem gustui haud ingratum, placidum effectu, exitu felicissimum. Quòd si tetra illa fœdaque quibus interdùm corpus conspurcatur vitia corrigere intendis; si motum sensumque partibus lentâ torpentibus ignaviâ conciliare satagis; si tumores frigidos, pertinaces, compactos resolvere, debilitatos artus confortare, contractos restituere; si vis promovere transpirationem, quâ impeditâ tot oriuntur affectus; hæc omnia balneatio & accommodata parti malè affectæ, Borboniensium aquarum irrigatio feliciter expediet.

Locum salubribus illis aquis tam felicem si fortè in antecessum cognoscere cupis; finge tibi Oppidum in austrino Campaniæ tractu Sequanis contermino. Hìc molli clivo collis assurgit; hìc facilem sinum duplex aperit vallis; colli quidem antiquum insidet Castrum, simùlque in eo caput attollit Oppidum, quod subjectam utramque vallem sinu suo occupat. Præterquàm quòd horto duplici eoque amœno instructum est; vitiferis collibus, viridantibus pratis, agrisque pinguibus undiquè cingitur. Dixeris naturam ipsam dùm Ægris remedium paravit, iisdem abundè providere voluisse necessarium, ad mis-

cenda colloquia, ad levandum faſtidium, ad fallendum tempus, præſidium. Cœterùm à Romanis frequentatum fuiſſe Borbonium, ſuadent tum varia Monumenta, Inſcriptiones, Numiſmata antiqua, paſſim effoſsâ tellure, obvia; tum Balneorum uſus Romanis familiariſſimus, quos ſanè aquarum illarum virtute atque præſtantiâ ad Balneas (ſic enim olim Thermæ vocabantur) ibidem conſtruendas incitatos eſſe, facilis eſt conjectura. Quòd neglectæ fuerint aliquandiù Thermæ Borbonienſes, fecit non tam tempus edax rerum, vel invidioſa vetuſtas, quàm bellorum illa calamitas quâ ſæpiùs vaſtatum eſt Oppidum Borbonienſe, feliciori ſorte dignum! verùm à bellicis furoribus vix benè reſpirare datum erat, cum novâ calamitate dirutum ac penè ſepultum eſt, ipſis kalendis Maiis anni 1717. datâ flammis prædâ, totum ferè arſit Borbonium; ignis atro, piceoque veluti innixus turbine, intrà paucas admodùm horas ad quingentas Privatorum ædes fatali vaſtatas incendio egit in ruinam; miſeræ Urbis Incolæ! alii igne conſumpti lethifero, alii corruentibus cum ingenti fragore tectis obruti, alii à voracibus flammis ſemi vivi, ſemique uſtulati vix aufugientes infauſtas incendii reliquias, infauſtamque vitam aliò tranſtulere. Non aliud ſanè poſt hominum memoriam lugendum magis incendium crediderim; ipſius nempè tanta fuit ſtrages, ut confluentes undiquè ad Thermas exteri Borbonium in Borbonio quærerent. Inauditum hoc infortunium diuturnâ annorum ſerie vix reparabile, niſi illius quem ſorte proſperâ dynaſtam agnoſcit, larga manus, ſpem extinctam priſtini ſtatûs iterùm aſſequendi in Borbonienſium animis excitaſſet. Incipit igitur reſtitui, ornari, rebus ad vitæ uſum & commoda neceſſariis locupletari: & ita quidem, ut quotannis ejus Thermæ innumero propè jam Ægrorum concurſu celebrentur, quorum infinita remedia & alias etiam Thermas expertorum, vox omnium una eſt, ad mortalium ſalutem naturam nullibi feliciùs quàm Borbonii cum arte conſpiraſſe. Quàm temperato, quàm vitali aëre dedit illa Borbonienſibus gaudere! argumento ſit illud luculento, quòd pueri propè Thermas degentes variolis & tabe rariùs afficiantur: quis verò id alteri cauſæ quam ſulphu-

reis Thermarum vaporibus adſcribi poſſe putet? ſcitum enim eſt graſſantibus olìm in Græcia contagioſis morbis, Hypocratis juſſu ſulphureos accendi fuiſſe ſolitos ignes, quibus à Contagio Divinus Senex Populares ſuos præcavebat; ſed his omiſſis ad Fontem jam accedamus.

In parte Oppidi occiduâ viſuntur Thermæ, in quibus ſcaturiunt felices illi aquæ ſalutiferæ rivi, quorum primarius Fontis nomine per antonomaſiam inſignitur. Hìc natura remediorum dives medicatas aquas pleno ſuppeditat alveo: unde aquæ omnes tum ad potationem, tum ad Balnea in ædibus privatis conficienda tranſlatæ hauriuntur, tamque copiosè' ut ſingulis diebus dolia repleri poſſint facilè ducenta; nec tamen Fons ullatenùs exareſcit. Alveus ejus quatuor pedes, & latus, & longus, & profundus eſt. Æſtus aquæ tantus, ut vix ac ne vix quidem manus aquis immiſſa calorem ferre poſſit: idemque ovis ſit par concoquendis. Quid igitur? aquæ deglutitæ palatum ac linguam comburent? minimè verò, ea eſt enim tum materiæ partiumque in quarum motu calor ſitus eſt tenuitas, tum aëris ambientis ſubtilitas, ut quo temporis puncto hauriuntur aquæ, calor propè ab illis avolet, & frigus aquæ nativum ſenſim redeat. Adde quòd aquæ iſtæ cùm ſint ſalinæ, vim penetrandi maximam habent, adeòque ſalivæ copiam eliciunt quâ calor aquæ temperatur. Porrò licèt in ipſo Fonte ſit calidior aqua, guſtui tamen minùs ingrata accidit, quàm dùm nativo frigori reſtituta eſt: unde valet hìc illud Poëtæ:

Dulciùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Fonti de quo hactenùs viciniores ſunt Balneæ, ſuis diſtinctæ nominibus. Statim autem occurrit illud quod Balneum Pauperum appellari placuit à frequentiâ Ægrorum, qui ut valetudine, ita rebus omnibus deſtituti hùc quaſi ad piſcinam confugiunt Manci, Claudi, Paralytici, Scabioſi, Ulceroſi, verum prorsùs ac luculentum humanæ miſeriæ ſpecimen! non procùl à Balneo Pauperum exhibet ſe Balneum alterum, quod Dynaſtæ nomen habet, quia ut ejus olim conſtructum ſumptibus, ita ejuſdem uſibus erat deſtinatum. Hoc eſt iſti Balneo peculiare, quòd aquæ frigidæ rivulum habeat temperando

medicatæ

medicatæ aquæ calori peridoneum. Gemino illi Balneo adjungendum eſt tertium utroque temperatius, quod quidem ſcaturiginibus ſibi propriis gaudet, non ſecùs ac Pauperum Balneum, Patricium nuncupatur à Galliarum Proconſule, qui ſive nomine tantùm, ſive ſtirpe Patricius eſſet, nomen dedit Balneo cujus aquis illud ſe debere credebat, quod amantiſſima Conjux pulchrâ & numerosâ prole feciſſet eum Parentem.

Verùm cùm naturam arte perfici deceat, adeò non fuêre neglecta munera naturæ tam pretioſa, ut è contrà poſtremis hiſce temporibus curâ peculiari exculta ſint. Itaque 1°. Balnea ſingula, in delicatioris ſexûs gratiam, pudoriſque præſidium, ſuis diſtincta & ſeparata ſunt intervallis. 2. Conſtructæ juxtà ſingulas duæ treſve ſcalæ, quæ facilem præbeant in Balnea deſcenſum, ut poſſit vel totum corpus, vel aliqua pars corporis immergi pro morbi ratione. 3o. Suſpenſa ſunt in ſingulis labella, aquis per tubulum miniſtrandis idonea; ita ut in partem affectam deciduæ exhibeant illam irrigandi methodum, quæ *Duccia* vulgò nuncupatur. 4°. Ne quid in Borbonienſibus Thermis ad Ægrorum ſolatium deſiderari videretur, procurata ſunt ibidem laconica Balnea duo, ſeu Thermulæ ſudatoriæ · priores ſunt vicinæ fonti primario, poſteriores ab annis aliquot juxtà Balneum Patricium ſunt extructæ. 5°. Præterquám quod ad munditiem exhauriuntur identidem Balneæ ſingulæ; canales idonei ſunt certo ordine diſpoſiti, per quos ſimùl in unum collectæ Thermales omnes aquæ defluunt in rivum, avibus & columbis potum ſuum ſalſugine exquiſitum præbituræ.

III

QUÆNAM ſit continui illius qui Borbonienſibus ſicut aliis in Thermis obſervatur æſtûs cauſa, quæſtio eſt, quæ Philoſophorum ac Medicorum ſuprà quam dici poteſt, exercuit ingenia: ſtupendi hujuſce Phœnomeni cauſa, licèt ſacro quodam involucro tecta, diligentiam Phyſicorum ad naturæ intùs latitantis clauſtra, ejuſque myſteria revelanda, mirum quantùm! acuit. Eſto ſit hìc Dædalea labyrinthus, at filum Ariadne, eoque duplici, ſcilicèt ratiocinatione & experientiâ invenietur exitus. Ante tamen quid hâc de re ſentiant Authores, inveſtigandum.

Sunt qui cum Paracelso Thermarum calorem congenitum esse, id est aquas, à Deo initio rerum, calidas pariter ac frigidas creatas fuisse contendunt; verùm cùm thermales aquæ è fontibus suis haustæ refrigescunt, verisimile est primò frigidas fuisse, & ab aliquâ calorem producente calefactas fuisse causâ, quâ cessante, cessat & effectus; quod sanè non contingeret si calor Thermarum esset innatus.

Alii calorem Thermarum ab Antiperistasi repetunt, sed è Foro, & Physico, & Medico, jam dudùm explosa fuit Antiperistasis, obscurum enim per obscuriùs explicat.

Alii cum Democrito subterraneum æstum attribuunt lapidi calcario, cujus moleculæ quædam ab aquis interfluentibus solutæ calorem ipsis concilient, quod in calce vivâ dùm aquis solvitur, observari putant. Clarissimus Lister præter lapidem calcarium admittit pyrites, quos quidem non excludimus, velut calcarios lapides, quia juxtà cunctas Thermas gratis supponuntur. Prætereà lapis calcarius in calce absque luculento igne, cujus existentia in terræ visceribus impossibilis censetur, cremari nequit, atque ejusmodi lapidi sicut calci elotæ accideret, ut brevi scilicèt tempore extingueretur, fervendique vi spoliatus, perennem in aquâ transfluente calorem fovere non posset. Uno verbo si calor subterraneus à calcario lapide proveniret, exusti lapides, sicut in calce vivâ observatur, dissolverentur ac disrumperentur, ac proindè integri montes iis constantes prorsùs corruerent.

Contendunt nonnulli, solis radios, cum intimiores terræ recessus penetrant, aquæ in iis contentæ calorem impertiri; quasi verò solis calor, qui vix (mole terræ spectatâ) superficiem ejus perstringit, intima telluris penetralia, sinumque possit pervadere: cur autem in regionibus illis quæ soli fervido jugiter sunt torridæ; fontes frigidi benè multi; cur non omnes calidi scaturiunt? si vera est hujusmodi opinio.

Sunt etiam qui soli aquearum partium motui calorem aquæ deberi existimant, quæ sententia, ut aliquam apud nos inveniat fidem, necesse est in fluminibus, in fluviis, in torrentibus, in rivis suas aquas velociùs impellentibus calorem semper ex sensibus observari.

Pleriquè autem cum venerandâ antiquitate Thermarum

calorem è subterraneis ignibus deducunt, sic sentiunt Philosophi, Plato, Aristoteles, Plinius, imò & Poëtæ, ne dicam Physicos, ut Lucretius, atque imprimis Manilius, qui tam bellè hanc in rem cecinit.

Sunt autem cunctis permisti partibus ignes.
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Ætnâque minantur Olympo,
Et calidas reddunt ipsis in fontibus undas.

Nonnulli quoque Moderni, velut Baccius, Fallopius, Foüet, Bourdon, Vicarius, sed potissimùm Kircherus, & alii benè multi, subterraneum ignem per varios terræ meatus diffundi docent; ita quidem ut sub sensum etiam cadat certis quibusdam in locis, montesque illos reddat ignivomos, qui vicinos circùm agros & Pagos incendia spargunt; cùmque juxtà illos non omnis evolet ignis ille, restat ejus pars maxima quæ calorem Thermis communicat. Hactenùs hanc fueram secutus opinionem, sed meliora edoctum ab eâ discedere non puduit; neque enim facilè me expedio ab his difficultatibus: putà quì ignis in terræ centro oriri, & absque pabulo, id est, aëris accessu possit subsistere. Cur hactenùs prunæ aut ignes in effosâ terrâ non reperti sunt. Quare quantò altiùs terram subeunt fossores, tantò majorem ubique soliditatem, ac saxeam duritiem offendunt; hoc enim ignis natura non ferret, si quis in terræ visceribus existeret, quare Thermarum aqua in ignem imposita, idem temporis spatium ad effervescendum requirit ac ipsa aqua communis frigida; quare tandem calorem suum diutiùs quam aqua alia æquè excalefacta servat; quæ sanè omnia non levem dubitandi ansam præbent, an Thermæ ab aliquo igne subterraneo calefiant.

Aliam igitur recentiores his difficultatibus permoti philosophandi viam iniere, si minùs veram, saltem ingeniosam. Repetunt enim Thermarum æstum à salibus diversæ indolis, qui quidem in terrâ latitantes, primùm ab aqueis partibus dissolvuntur (sales enim non agunt nisi dissoluti) tùm simùl cum aliis principiis permiscentur, ac demùm permixti, fermentationem adeòque calorem inducunt; conjecturam hanc illi, vel ducunt, vel ductam confirmant experimento sequenti,

videlicèt ex affusione salis tartari cum spiritu vitrioli subitani producentis effervescentiam. At illis Lister paucis respondet ipsos sales inter se naturaliter non discordare, sed tranquillè in eâdem aquâ commisceri, si tamen unquàm in conjunctione serveant, id non ante evenire solet quam ignem chimicâ aliquâ præparatione experti sunt. Sic oleum vitrioli dictum cum aquâ simplici commixtum, eam statim fervidam facit, non ob aliquam salium contrarietatem (quæ nulla sunt) sed quod ex distillatione vehementi igneam naturam calcis vivæ more retinet, idem de cœteris salibus cogitandum esse perhibet. Præterea si de calore Thermarum ita esset philosophandum, nullæ profectò essent Thermæ, quarum aquæ non sint sale imprægnatæ, sed principia salina quibus innititur hæc opinio pro solâ Thermarum æstus causâ admitti nequeunt; certò enim certius est dari Thermas in quibus ne micam quidem salis reperias, tales sunt Thermæ Favarienses apud Helvetos celeberrimæ, adde quod calidiores Thermæ suppositis ut fieri solet ad calorem principiis, aquas his magis imprægnatas offerre deberent, quod qui dixerit; repugnabit experientiæ, namque Thermæ Nerienses in Agro Borbonio totius Galliæ calidissimæ sunt, & tamen sal vix suppeditant, tandem verò aquæ fontis Castro in Insulâ Græcâ Milo dictâ pro consueto potu cœteris aliis fontanis anteponebantur à Morosini Duce Veneto qui sedulo cados hâc aquâ repleri curabat, verumtamen eadem scaturiens calida est, hausta verò intrà duarum horarum spatium refrigescit. Sicut refert Clarissimus Tournefort suis in itineribus *tom.* 1. *pag.* 192.

Atque his de caulis sententia ista licèt cœteris magis arrideat, minùs tamen veritatis habere videtur, aliò igitur rationis proram vertamus.

Cùm juxtà plerasque Thermas minera Martis reperiatur, omnesque Thermales aquæ, quantùm scio, sulphuream exhalent odorem, pronum erat conjicere ferrum & sulphur æstus Thermarum causam esse. Experimentum Lemery videlicèt sulphuris & ferri in s. q. aquæ commixtio quæ paucarum spatio horarum incalescit, densumque emittit fumum, non parùm favet huic opinioni, haud secùs ac aliud experi-

mentum Clariſſimi Viri * in rebus phyſicis, non minùs quàm in Mathematicis apprimè verſati, Borbonii ipſius paucis ab hinc annis factum, nempê commixtio limaturæ Martis, id eſt ferri cum ſale communi & ſulphure pulveriſato æquali quantitate, quæ quidem in vaſe obturato poſita cum ſ. q. aquæ poſt aliquot horas intumeſcebant, notabilem concipiebant calorem, deindè præcipatione factâ lutum Borbonienſium Thermarum luto non abſimile cernebatur in quo argentum & æs demerſum poſt aliquod tempus nigro inficiebantur colore, ſicut inficiuntur in luto Thermarum Borbonienſium; hoc experimento Borbonienſium aquarum calorem explicandum ingeniosè ſuſcepit, ratus videlicèt aquas thermales omnes partibus ſalinis, ſulphureis & ferreis eſſe refertas & imprægnatas, proindèque perpetuò fermenteſcere propter continuum illum jugemque fomitem, quo cum aquis permixto mineralium moleculæ diſſolvuntur, ac diſſolutæ aquas per fermentationem calefaciunt. Verùm ſal neque neceſſarium eſt ad caloris hujus productionem, neque reperitur in pluribus thermalibus aquis, ut ſuprà dictum eſt.

Prætereà inter naturæ & artis opera magnum eſt diſcrimen, multoſque eo experimento ita abuti refert Bergerus, ut ab acido ſulphuris aquis ſoluto, & pervadente terras, aggredienteque obvias venas ferri, bituminis & rerum ſimilium, & incendiorum ſubterraneorum, & caloris aquarum cauſam repetant, non animadvertentes diſcrimen quod non ſolùm inter ſulphur integrum & accenſum, ſed & inter venam ferri & ferrum ipſum igne ex ſuâ venâ excoctum, arteque elaboratum intercedit: notum enim eſt (pergit laudatus Author) ſulphur ex quo acidum illud repetunt, id non aliâ ratione quàm igne accenſum, præbere & uti ſcobs ferri, jam igne excocti non tantùm cum ſulphure & ejus ſpiritu, ac alio quocumque acido, ſed etiam cum ſolâ aquâ, incaleſcit; ſic è contrariò in venas ferri, quamvis ditiſſimas, quæque in pulverem tritæ, totæ magnetem ſequuntur, ſpiritui, nec ſulphu-

* *Mr Gautier, Inſpecteur des grands Chemins, Ponts & Chauſſées du Royaume.*

ris , nec vitrioli , nec nitri , neque aquis ſtygiis , vim ullam eſſe, norint omnes qui his experimentis utuntur. Itaque Clariſſimus ille Vir hâc calorem explicandi ratione rejectâ . illius cauſam à pyrite fervente deducit, atque pro compertiſſimo affirmat quod ubicumque vis aliqua caloris, vel ipſe ignis ex terrâ micans ſe manifeſtè prodit , ibi ſubeſſe pyrites deprehendatur , idque luculenter probat ; ſubterranei verò caloris Thermarumque cauſam ſic propemodùm explicat. Pyrites, inquit, eſt vocabulum ab igne originem habens , reverâ quaſi igniarius lapis audit apud omnes , namque ſi durus eſt , chalybe, aut ſilice, aut alio pyrite perculſus nonnullas edit ſcintillas , pyrites aliàs dicitur marchaſita , vel lapis metallicus , & à Liſtero rectè ferri metallum quod cujuſcumque ſit generis , ferro conſtet , lapis enim ille uſtus , magnetem ſequitur , plurimas ſortitur differentias , alius enim eſt ſolidus & durus , rarus & mollis alius, alius purus putus , alius mixtus , imò tot habere differentias & colores quot ſunt metalla , refert Avicennas.

Pyrites ob admixtum ferro ſulphur (pyriten verò copioſiſſimè ſulphur edere docet Liſter) valdè halituoſæ & igneæ eſt naturæ, ubi motu & actione ſulphuris ſui in ſuum ferrum ipſe priùs incaleſcit & fervet ac vaporat, calorem excitat; varium quidem pro varia ferventis pyritæ conditione, vividiorem quoque & acriorem quò magis fervet pyrites , & ſpirat halituſque mittit copioſiores, porrò cunctis in locis ubi pyrites deprehenditur , ibi tamen calor non excitatur, nam ſi coerceantur pyritæ partes , atque languidè moveantur , parciùſque effluant . calorem non produnt , ſed has particulas concitari, collidi, atterique neceſſe eſt ut ferveant , fervorem verò concipiunt dùm aqua præterfluens in venas pyritarum , in horum poros impetum facit, paulatim ſolvi & laxari debet nexus & compages ſulphuris & ferri , quæ cùm anteà ; conjuncta arctiùs coactave in pyrite fermè quieſcerent , vel paulò certè languidiùs agitarentur & ſpirarent; jam aquæ ſubeuntis agitatione, vinculis ſuis non nihil ſoluta & concita vividiùs ac colliſa, rareſcunt paulatim , atque ad motum attritumque progreſſu temporis acriorem adducta , effluvium copioſiùs, quo calor continetur & viget, proferunt, id autem contingit ubi

terra venas pyritæ magis ſulphurei divites in utero ſuo gerit, ſicut in locis in quibus Thermæ reperiuntur. Pyritæ autem halitus effectus ſunt fulmina & fulgura, juxtà Liſter, ſi in cœlo accendantur; terræ motus: ſi fortè cavis ſubterraneis accenſus contineatur: Thermæ, ſi per aquarum ductus ſubterraneos copiosè feratur, etiamſi non accendatur. Adde ſaxeam materiam fuſam ab incendiis Ætnæ ex bonâ parte ferream eſſe, ut magnes demonſtrat, neque aliud ferri genus id fuiſſe quàm pyriten ex ejus facili accenſione credibile eſſe. Pyriten ferventem veram Thermarum cauſam eſſe, lubentiùs admitto ex quo mineram martis, ſeu ferri metallum aut pyrites, in lutis Borbonienſibus exſiccatis dari, per magnetem edoctus fui, cujus quidem anteà nullum ſuſpicabar veſtigium, tum in aquis poſt multiplicem factam obſervationem, tum in ſalibus ipſis licèt magnetem iis admoverem, in iis quippè mineram martis reperire non licet, quia ferrum ob gravitatem ſuam præcipitatur in ſolo luto reperiendum, halitus quidem admiſerunt Medici ſcientiarum Academiæ Pariſienſis pro Thermarum æſtûs causâ, ſed non determinarunt eorum naturam ſicut Bergerus, cujus ſententiam amplecti juvat, donec dilucidior, ſi dari poſſit, inveniatur.

IV.

NATURAM varietate gaudere, commune eſt axioma, nullibi verò grata illa Parentis quaſi in ſinu cum ſuâ ſobole colludentis varietas magis eluceſcit, quàm in aquis è terrâ ſcaturientibus. Mirum! quanta ſit fontium diverſitas, alii frigidi, tepidi alii vel calidi proſiliunt: odore, ſapore, colore, virtute quàm ſunt inter ſe diſcrepantes. Videlicèt aquæ dum per intimos telluris anfractus ſerpere laborant, tam variis terræ glebis, tam diverſis ſalium, ſulphurum bituminum, mineralium, metallorum lapidum, corpuſculorum ſive fluidorum ſive concretorum ſpeciebus miſcentur, ut ejuſmodi corporum moleculas abrudendo, particulas diſſolvendo, tincturam eliciendo, eorum principiis impraegnari neceſſe ſit. Hinc nulla prorsùs aqua mixturæ Expers, ita ut ſimplex dicenda ſit in quâ mixtura ſenſu non percipitur, compoſita verò in quâ mixtura ſenſibus eſt obvia. Jam verò compoſita vel eſt

salubris sive medicata, vel insalubris sive venenosa. Inter aquas medicatas recensendæ sunt illæ quæ gaudent principiis, corpus alterare, & à statu violento aut præternaturali ad naturalem reducere natis. Talis est aqua sulphurea, bituminosa, salina, nitrosa, *&c.* Inter venenosas adscribuntur illæ quæ in suis principiis qualitatem habent vitæ prorsùs repugnantem; talis est aqua arsenico, antimonio, mercurio, calce, gypso, succo petrifico, vel quâvis aliâ deleteriâ, vi infecta. Aquarum mixturam & proindè naturam nosse desideras? arduum opus; sensuum ministerio ignisque auxilio id assequi contendimus? at sensus sunt fallaces, imò & sæpè fallunt: ignis verò corporum texturam ita potens est immutare, ut ambigi meritò possit utrùm corpora, ignis torturâ elicita eadem sint ac anteà in mixto. Quo fit ut difficile sit omninò de principiis ex quibus aquæ constant, certam ac firmam capere conjecturam: quoniam tamen vix aliter quàm sensuum aut ignis ope, certum de aquarum proprietatibus habetur criterium: quæ sunt à nobis geminâ illa ratione circà Borbonienses aquas observata, paucìs accipe.

Ac primò quidem dum sensus consulimus, duplex hisce in aquis deprehenditur substantia, salina nempè & sulphurea. Aquas ori admove, senties tibi linguam vellicari, in marginem fontis oculos tantùm conjice, crystallis quibusdam salinis micare tibi videbitur: hydrias aquis hisce plenas inspice, cernes in iisdem salem niveum undiquè in earum superficie efflorescentem.

Sulphuris verò in istis aquis contenti, tum Thermarum sulphureus odor, tum versicolor illarum aquarum superficies caudæ Pavonis æmula, tum deniquè luti pullascens color, necnon injucunda mephitis, probatæ fidei testes sunt.

Age 2°. rejecto sensuum testimonio Borbonienses Aquas Vulcani laboribus subjice. Quâvis demùm ratione placuerit, distillatione, coctione, evaporatione, parùm interest, aliud elicies nihil quàm sal fixum instar salis communis seu marini, & eâ quantitate ut libra aquæ una, unam salis dragmam datura sit; cui etiam terræ sabulosæ grana quatuor aut quinque sociata reperies. Unde tanta salis ex hisce aquis educti copia, nisi ab inexausto gemmeo sale per interfluentes aquas dissoluto,

tot

tot in locis reperiendo; velut in salinorum fontium minerâ: Salinas fodinas singulis annis novo sale repleri probavit curiosus subterranei mundi indagator Kircher. Salis verò hujusce modi naturam si quæris, hæc erunt observatu facilia, nullam ab alkali quovis vel acido subit mutationem. Cum syrupo violaceo sal istud mixtum colorem ejus non alterat, non modò non coagulat lac, sed etiam coagulatum tantisper dissolvit. Misce Borbonienses Aquas cum aqua communi, in quâ sal quoque commune dissolvitur, illæ neque turbidæ fient, neque lacteæ, neque amaræ, quod tamen plerisque contingit aquis nitratis, sal harum aquarum carboni accenso impositum, nullam deflagrationem instar nitri edit. Ex gallarum solutione Thermalibus his Aquis infusâ, nullum colorem atrum aut purpureum exhibente, infertur vitriolum in iisdem non contineri: quidam fortè nitro, vitriolo, illas imbutas esse credent, credant per me licet, imò & aliis mineralibus gravidas, sed non ego credulus illis. Qui sulphur in his aquis contentum extricare cupit, hic oleum & operam perdet; valeat in multis aliis ars chimica, at frustrà desudabit tota Chimicorum industria in sulphure hujusmodi educendo. Auras priùs & ventum utribus Æolo illo Vulcani cui serviunt Ministro, quàm spiritum hunc sulphureum (adeò volatilis est) aut intercipient aut retinebunt; sed quod arti negatum, id naturæ concessum est, quippè quæ sulphur illud exhibet velut fixum in aquarum limo ac luto, in quo scilicèt deprehenditur bitumen, cujus vi argentum in eo immersum colore nigro infectum educitur. Quod superest, habet id cum sale marino vel fontano, quo alimenta condiuntur, hanc habet prærogativam Sal Thermale Borboniense, ut non inferat noxam, & acrimonia ejus quæ in cœteris salibus separari nequit, egregiè fit temperata, tam felici sal istud cum sulphure jungitur connubio. Deniquè utriusque scilicèt salis & sulphuris tam justâ proportione facta est in aquis Thermalibus, ope naturæ commixtio, ut id assequi ars valeat nulla, plusque profutura sit vel una naturalibus hisce aquis situla, quam plena artificialibus dolia. Itaque ut omnium ferè remediorum, ita & Borboniensium Aquarum actio

omnis à sulphure volatili & sale (quibus adde fervidos pyritæ halitus) atque hoc adeò verum est, ut si volatiles salis partes fuerint dissipatæ, nulla sit propè jam virtus his aquis superstes: unde translatis aquis quantula sit fides adhibenda, tu videris: si tamen hæ, translatæ licèt, omninò non sint effœtæ, si quam adhùc purgandi vim retinent, hanc sali fixo, quod ipsis adhùc inest, referant acceptum, necesse est.

Quis verò jam satis explicare possit mirabilem illam quâ Borbonienses Aquæ agunt in corpus rationem? ut multiplex est eas adhibendi modus, ita multiplex illarum operatio: vis incipere ab illarum potu, quòd potantibus medicamenta quælibet, id Thermopotantibus accidet; nempè ut aquæ medicatæ vim primùm suam exerant in stomachum, nimirùm salibus, sulphuribus, pyritarumque halitibus, quibus turgent, crassos, viscidos humores in stomacho contentos incidunt, attenuant, detergunt, superfluos evacuant, ventriculi fibras lentis imbutas succis extricant, & in pristinum restituunt tonum, gastricum menstruum acuunt: atque ita pravæ medendo chylosi, plerisque medentur morbis chronicis, quorum maximam partem in primæ coctionis vitium refundendam esse unanimis est Medicorum consensus. Neque verò hìc sistit aquarum epotarum operatio, siquidem illæ partim blanda irritatione, partim peristastici motûs ope, partim eâ quâ potantur copiâ, è ventriculo in intestina decidunt, idem illis ac stomacho beneficium præstituræ. Quid tum? excretorios succi pancreatici biliosique ductus recludunt, reseratis venarum lactearum orificis, facilem in eas chylo præbent aditum, bilem præcipitant, mesenterii obstructiones tollunt, tandemque penetrato chyli receptaculo, ac superato canali thoracico, sanguini permiscentur: sanguini autem permixtæ quid non moliuntur ope fervidorum pyritæ halituum sulphureorum, enim verò ex Vvilisio, corpuscula sulphurea sanguini illata, ipsi novum ac uberiorem sulphuris penum addunt: propterea ut massa ejus, si anteà pauperior & effœta fuerit, intrà vasa vegetiùs fermentescat, & ulterius in corde accensa calorem magis intensum, quin & colorem saturatiorem acquirat. Præterea parùm est quod san-

guinis circulum promoveant Aquæ Borbonienses, nisi fluiditatem illi concilient, si fortè crassior sit & viscidior. Parùm quod serum redundans amandent in renes, nisi vitiosos etiam humores evacuent, nisi penitiores corporis recessus pervadant. At verò ad supremam humani corporis arcem, quâ demùm viâ ascendunt ì circulatione, cujus ope corticales glandulas viscidis impeditas & obturatas succis expediunt, cerebrum & nervos ab infarctu liberant, spirituum animalium transcolationem & distributionem reddunt faciliorem, tubulos nerveos subsidentes aperiunt. Adeò verum est Thermales aquas varietate operationum, variis cerebri affectibus mirum in modum prodesse. Quod eâdem circulationis viâ prosint quoque cœteris partibus, patet inductione solâ. Uterum à serosâ colluvie expurgant, ejusque tollunt obstructiones, menses provocant, hepar, lien & alia viscera eluunt. Quid plura! nihil ferè in corpore humano intactum relinquunt; quippè primis diebus sordes eluendo per secessum, mediis serum discernendo per urinas, postremis sanguinem blandè agitando per sudores, agunt. Hactenùs de Thermalium Aquarum potu.

Vis jam balneationem sive corporis in aquas immersionem speculari? modus quidem alter ac dissimilis est, ratio tamen operandi eadem ac propè similis est; via diversa, sed si rectè ineatur, terminus idem est sanitas. Ac primòquidem Thermalium Aquarum moles ac pondus cutem cum subjectis musculis & vasis comprimit, hinc rapidior sanguinis pressi circuitus, hinc ejusdem, si fortè crassior sit, attenuatio, prætereà cùm Thermalis Aqua intestino motu gaudeat, partibusque constet teretibus, & flexibilibus, præter ejus calorem, sales, sulphura, pyritarumque halitus quibus turget, cutis lotæ texturam laxat, fibras mollit, poros subit, dissolvit humores transpirationis vias occludentes, viscidos succos diluit, solvit, apertisque vasorum ostiolis sanguini illabitur, quo duce, quo vectore per singulas corporis partès diffunditur, suum singulis salubri aspergine pensitat vectigal: nec priùs in iis operari desistit, quàm opem illis amicam præstiterit, totamque suam (nisi fortè quid inter lavandum

peccatur) corpori bene loto, perindè atque bene poto, virtutem dederit experiendam. Deniquè balneum salsum morbis à frigidâ causâ inductis conferre docet Hypocrates lib. 20. diætæ, dum ait *salsum autem balneum calfacit ac siccat, quùm enim naturâ calidum sit, trahit à corpore humiditatem.*

Quod si tantùm sit præsidii à solâ balneatione, quid non est ab irrigatione ipsâ sperandum? Thermalis enim Aqua, non jam suâ solùm vi, sed sæpè cadendo affert nescio quid vividiùs in partem affectam decidua, quod & illam penetrat magis, & impactos humores certiùs feliciùsque resolvit. Summum tamen crede nefas irrigare caput, hoc enim qui voluerit experiri, temeritatis suæ pœnas luet. Idem esto de medio & infimo ventre judicium atque de capite. Verendum enim est ne humores hisce partibus irrigatis nimiùm liquefacti irruant in nobiliora viscera, eaque graviter afficiant. Tutiùs igitur scapulas, humeros, brachia, manus, ischium, femora, crura & pedes deciduis & irriguis aquis subjicies.

Neque verò prætereundum est lutum quod in Aquis Borboniensibus reperies. Fuit illud tempus quo Thermalium Aquarum virtus minùs cognita erat, solumque Ægris quærebatur (ut gallica vox sonat) à bonitate luti hujusce, remedium. Partibus enim affectis impositum & applicatum prodest: siquidem bitumen & sal sulphureum in eo limo contentum (quod etiam faciunt pleraque alia bitumina & sulphura) concretos humores resolvit ac discutit, partesque relaxatas stringit, debilitatas corroborat, ob ferreas moleculas quæ in eo reperiuntur.

V.

QUAS virtutes Borboniensibus Thermis indidit natura; eæ, mihi crede, nec unæ sunt, nec aliis quibuslibet aquis sunt cessuræ. Recole tantisper animo innumera illa quæ ad sanitatem restituendam, ex immenso physices regno, deprompta sunt præsidia: nullum occurrit his aquis ad affectus illos chronicos qui ab humorum concretione nascuntur profligandos valentius, robustius nullum. Cedant Thermis ipsa specifica: quid enim, quæso, Mercurius? quid cortex Peru-

vianus ? quid radix Brasiliensis ? quid cœtera jam toties decantata quasi magni in re medicâ nominis remedia ? valent illa quidem ad certos quosdam peculiares & determinatos affectus : at thermales aquæ, sin minùs totam chronicorum morborum sobolem, certè maximam eorum partem extirpare natæ sunt. Ipsa me pagina deficiet, si velim ire per singula; liceat ex sexcentis pauca delibare.

Agmen ducat Apoplexia, quæ licèt acutissimus sit affectus, chronicorum tamen catervâ stipatur. Sed quâ arte potest illa præcludi ? methodico & tempestivo Thermarum usu, sic enim & vertigines, certi Apoplexiæ prodromi avertuntur : sic ejusdem affectus paroxismi præoccupantur : sic Paralysis post Apoplexiam residua tollitur : sic demùm illa pestis, quâ nulla capitalior, illa vitæ nostræ impugnatrix certò & feliciter expugnatur. Nec mireris ; cùm enim Apoplexia (idemque esto judicium eum certâ quâdam proportione de reliquis soporosis affectibus) cum inquam, Apoplexia suum ortum sæpè debeat vel sanguini crassiori, vel humoribus viscidis ac tenacibus qui in substantiâ cerebri propter lentum in ejus vasis circuitum sensim cumulati ac stagnantes obstruunt corticales glandulas, atque ita spirituum animalium sequestrationem ac distributionem impediunt ; nemo inficias ibit aquas Borbonienses meritò dici, & de facto esse antiapoplecticas, quia talem massæ sanguineæ diathesim emendant, humoresque à pestifero illo coagulo præservant ; hoc enim utrumque præstitisse, est amovisse Apoplexiæ causam.

Paralysin ab Apoplexia, cui sæpè supervenit, ne separemus; suum quoque in Thermis Borboniensibus habent Paralytici remedium, sive Paralysis perfecta sit, sive imperfecta ; idque ex quâcumque causâ resolutio hujusmodi contigerit. An à sanguine lento, viscoso & pariendis obstructionibus idoneo ? à quo scilicèt cùm vel debiliores vel minori quàm par est copiâ generentur spiritus ad motus perficiendos necessarii, reliquum est ut partes nerveæ, motus ac sensus organa laxentur. At quid aquis istis ad tollendam hanc primam Paralyseos causam præsentius ? cùm valeant mirum in modum, tum ad crassiorem sanguinem attenuandum, tum ad conci-

liandam illi liquiditatem. An verò contigit Paralysis à serosis humoribus qui nervorum ac musculorum fibras ita inebriant, obstruunt ac comprimunt, ut partes irradiare nequeant spiritus, quorum inopiâ aut defectu motus sensusque, aut omninò perit, aut minuitur: ad hanc alteram resolutionis nervorum sive Paralyseos causam amovendam, quid aquis Termalibus efficacius? quibus ut datum est tenuissimis ac penetrantibus constare principiis: ita pronum est humores intrà fibras nerveas musculosque impactos, & hærentes liquefacere, succis suum fluorem reddere, fibrarum tonum reparare. Adde paresin, torporem, stuporem, illos heu nimium fidos Paralysis prænuncios! adde convulsionem seu contractionem aut spasmum, tam universalem, quàm particularem, putà cynicum, strabismum, trismum. Adde convulsiones epilepticas à crassis heterogeneis irritantibusque humoribus oriundas. Adversùs hæc omnia præstò sunt aquæ Borbonienses, vel eo nomine quod humoribus hisce incidendis, aut attenuandis & eliminandis sint pares. Quid loquar cephalalgiam & cephaleam, quæ cùm vel à causâ (ut amant loqui) frigidâ producatur, vel ab humore nonnihil viscido qui in certâ quâdam capitis parte coacervatus crudeliter solet desævire; non potest non sublevari ab aquarum Borboniensium potu, dum suas illæ vires exerunt ad materiam doloris attenuandam. Quid etiam loquar oculorum atque aurium affectus, qui ab opticorum & acousticorum nervorum infarctu solent proficisci? quid deniquè scrophulas, quas nemo nescit deberi sali cuidam acido fixo, quod in massâ sanguineâ primùm collectum, tum in variis, sed maximè colli glandulis depositum, lympham tandem inibi figit purulentam, illud verò sal negaverit nemo ab his aquis facilè discuti, quippè quæ sunt inter dissolventia palmares. Porrò illud te esse admonitum volo, qui capitis affectu laboras, ut privatis in ædibus, nullatenùs in ipsis Thermis balneo utaris; Thermæ enim præ nimio æstu & vaporibus quos exhalant, caput graviter solent afficere.

Jam si à superiori corporis humani parte ad mediam descendamus, videtur contrà thoracis affectus non tam latè

patere aquarum iſtarum imperium. Verùm tam in aſthmate quod à glutinoſis ſuccis putri materiâ pulmonum veſiculas infarcientibus procreatur, quàm in palpitatione cordis quæ craſſi viſcidique ſanguinis effectus eſt, virtus quam aquæ Borbonienſes habent incidendi & attenuandi demonſtrat illas propè eſſe ſingulares.

Quidquid ſit de thoracis affectibus, quàm felicem facilemque præſtant operam aquæ Thermales tùm ſtomacho, tùm inferiori ventri laboranti? peccat fortè chyloſis, infelix illa tot chronicorum affectuum parens & artifex? aquis iſtis corrigitur. Debilitatur fortè ventriculus pravis ſuccis in eo ſtagnantibus, vomitum provocantibus, proſternentibus appetitum? aquarum potu ſtomachus roboratur, vomitus ſiſtitur, appetitus recreatur, An ventriculi cruditatem vitioſa humorum craſis induxit? abducet Thermarum uſus. An laborat alvus ſegni pigritie? Thermalis aqua fugabit eam, ſimùlque communem morborum fomitem cacochymiam extinguet, partim detergendis atque eliminandis ſuperfluis craſſis ac vitioſis ſuccis, partim ſuum maſſæ ſanguineæ circuitum reſtituendo. Quis opem ferat Ægro dolores colicos eoſque inveteratos jam dudùm patienti? qui Thermales aquas illi porrexerit; quippè ſic ſeroſos, bilioſos & mucoſos humores, intrà inteſtina plus æquò commorantes ſenſiles eorum membranas plexuſque meſenterii acriùs vellicantes avertit. Quis tam ferus ac ferreus qui has eaſdem aquas aut deneget, aut non conſulat mulieri ad dolores difficili menſtruorum eruptioni prævios ſublevandos? ſi cogitet id quod res eſt, nempè germanam hujus morbi cauſam in obſtructionibus ſitam, repetitis illarum aquarum hauſtibus evacuari. Quis hominem nephritidi laborantem deſerat? dum remedium adeſt tam parabile, quàm parabilis eſt aqua thermalis. At hic meſenterii; iſte inteſtinorum, ille pancreatis, alius ſplenis, alter hepatis obſtructionibus dolet: omnibus idem eſto remedium unum & idem, Thermarum uſus; cùm adversùs hæc omnia mirificè valeant, adeòque poſſint illarum partium ſchirros viſcerumque tumores antevertere.

Quid? quod vitiatorum humorum ſtaſin feliciter tollunt,

albo fluori à cruoris viſciditate vaſorumque uteri obſtructionibus ac proindè fœcunditati (ſi ſterilitatis cauſa hæc fuerit) promovendæ mirè proſunt: menſtruorum ſuppreſſioni ac chloroſi certiſſimè medentur; enim veró pro virtute quam habent reſolvendi, aperiendi & evacuandi, non poſſunt ſatis commendari adversùs illos affectus quibus ſanguis craſſus & lentus dedit ortum; quia non aliter quàm per attenuantia & evacuantia ſolvuntur. Quid etiam quod certiſſimum afferant interitum cuilibet lumbricorum ſpeciei (nequidem faſciatis exceptis) propterea quod ovulorum excluſionem impediant expurgentque tum verminoſa ſemina, tum humores tali excluſioni faventes. Præterea diſſolvunt atque educunt ſerum viſcidum acidumque quo meſenterii nervis obſeſſis, & irritatis producuntur motus convulſivi qui vulgò hyſterici nuncupantur. Ictero proſunt quia ſuccis illis lentis à quibus naſcitur, fluiditatem addunt, ſuiſque illos colatoriis ſecernendos, & excernendos præparant: materiâ tandem viſcidâ tartareâ atque calculosâ, ſive incisâ, ſive expulsâ, affectibus renum, ureterum & veſicæ medentur, mirum etiam in modum conducunt in lumbagine.

Sed quid ſingulis recenſendis immoramur ad evincendam aquarum thermalium contrà chronicos morbos efficaciam? ſufficiat hoc dixiſſe unum, nempè in Rheumaticis iſchiadiciſque doloribus curationem his aquis totam expleri atque conſummari, cujus rei ratio eſt quòd dolores illos pariat omnes una eademque cauſa, nempè humor ſeroſus ſalinus, qui per totum corpus vel quaſdam dumtaxàt corporis partes, putà per muſculorum membranas, eaſque quæ articulis adjacent, aut per humeros, brachia, femora, &c. propter prohibitam plerumque tranſpirationem defluit, & ibidem immorans, non ſine atrociſſimo ſæpè doloris ſenſu partium fibras membranaſve muſculorum & articulationum vellicat, pungit & lancinat. Nulla autem certior ad curandum, vel ſaltèm ſublevandum morbum, nulla compendioſior via eſt quàm balnei & ſtillicidii uſus, quo fit ut reſeratis poris humor ſolvatur ſudoribus, & copiosâ tranſpiratione quaſi effracto carcere ac ruptis repagulis feliciter avolet. Cave

tamen ne cretaceam vel gypſeam humor naturam induerit: unde tophi, aliaque arthritidis ſymptomata, quæ nullâ arte poſſunt reſolvi juxtà axioma.

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

Nimirùm mucilago acida (hæc enim arthritidis cauſa ſtatuitur) ubi altas egit radices, & circà junctutas, tendines. ac perioſtium ipſum fuit infixa: ibi quandoque ita concreſcit ut nullis veniat diſcutienda remediis, multò minùs calidis, quales ſunt Aquæ Borbonienſes; ab his enim indureſceret talis mucilago potiùs quàm diſſolveretur.

Procul igitur à Thermis Borbonienſibus, quotquot arthritide laborant: procul ab iis Febricitantes, Hydropici, Hæmoptyci, Phthiſici, Dyſenterici; procul tandem ii quibus inflammati viſceris adeſt ſuſpicio.

At ſi ſalubres iſtis eſſe non poſſint; quot & quantis aliis utilitatibus unam aut alteram quæ deeſt illis virtutem compenſant! an nimiam opponis corpulentiam? ſuccos nutritios, ſi fuerint craſſiores, attenuant; aut ſi ſuperflui, foras eliminant: ſic enim obeſum corpus imminuunt. An objicis atrophiam particularem? illam ita corrigunt, ut debita ſucci nutritii diſtributio fiat in ſingulas partes, neque hanc humorum tenacitas impedire jam valeat. An obtrudis partes debilitatas, & ictu vel caſu relaxatas? Eas mirificè roborant Thermæ. Mitto oſſium fracturas, tumores frigidos reliquis anteà remediis indomitos, concretiones inveteratas, alioſque calloſos tumores: mitto ulcera externa his aquis deterſa & conſolidata: cutem à ſcabie, impetigine, lichene mundatam, alioſque hujuſmodi affectus quos generant vitioſi ſucci cuticulæ inhærentes, eamque etiam tranſpiratione impeditâ fœdè exulcerantes. Mitto deniquè adiapneuſtiam tot morborum cauſam medicatis hiſce aquis expulſam: redonatum fibris ſuum elaterem, ſuum liquidis motum ad circuitionem peragendam reſtitutum, hæc & alia hujus generis ſexenta prætermitto, utpotè minùs ad hujus veritatis aſſertionem neceſſaria, præſertim poſt edita quotannis exempla in multitudine illâ Ægrorum propè incredibili, quibus Aquæ Borbonienſes non tantùm quaſi lethæa pocula morborum oblivionem induxêre, verùm etiam

quasi nectarea valetudinem redonarunt, valentissimis quibusque mortalibus invidendam.

Ergo plerisque Morbis Chronicis Aquæ Thermales Borbonienses in Campaniâ.

QUÆSTIO MEDICA.

An sit aliquis in Thermarum Borboniensium usu servandus ordo.

I.

THERMAS hisce temporibus tantummodò nomen aliquod habuisse haud existimandum est; per antiquum earum usum fuisse patet ex variis scriptorum monumentis. Fabulosa antiquitas Thermarum inventionem ad Deos ipsos referre solebat! mirum quantum inde prædicatæ sint Thermales Aquæ! blanda naturæ dona, arcana miraculo plena & salutaribus qualitatibus pretiosa, sacrosancta Dei dona, auxiliatrices Deorum manus, sanctuaria passim vocari, aliisque non minús magnificis solent insigniri titulis. Reverà primum inter remedia locum sibi vindicant, optimaque Medicinæ pars multiplici nomine dici possunt. Verumtamen tantis cum prærogativis non temerè sunt adhibendæ; at in earum usu non secùs ac in nobiliorum tutiorumque remediorum administratione, certa methodus observanda est, ut optati effectus obtineantur. Itaque tria potissimum consideranda veniunt; 1. Natura morbi, temperamenti, virtutes Thermarum adhibendarum. 2. Modus & conditiones iis utendi. 3. Diæta tunc temporis observanda, & quæ post Thermarum usum sunt præstanda. Quibus ritè consideratis, felix à Thermis eventus sperandus erit, & facilè vitabuntur plurima quæ penès aquarum usum incommoda contingere solent, id enim commune est omnibus remediis ut quibus sanentur plurimi, lædi se nonnulli sen-

riant, vel quia perperàm adhibentur, minùſque conveniant, vel quia conditiones neceſſariò ſervandæ negliguntur.

II.

QUEMADMODUM igitur res quæ non naturales à Medicis vocantur, malè uſurpatæ plus damni quàm emolumenti afferre ſolent; ita & Thermæ Borbonienſes niſi certâ methodo, certo anni tempore, certâ quantitate, certáque corporis præviâ præparatione adhibeantur, morbos potiùs exaſperabunt quàm curabunt. Idcircò Thermæ non inconſultis adeundæ ſunt Medicis quorum eſt determinare an conveniant morbo, temperamento Ægri, eorumque eſt noſcere commoda incommodaque Thermarum quarum uſum præſcribunt.

Quid enim triſtius quàm id quod ſæpè evenit Ægrotantibus qui dum ad Thermas poſt multos labores, tædioſumque iter pervenerunt, domum ſuam anxii repetere coguntur, accepto ab Incolis Medicis conſilio, qui multò magis Ægrorum ſaluti quàm Thermarum exiſtimationi, Incolarumque lucro conſulere debent. Hâc ſollicitudine levaberis ſi priùs peritum Medicum in conſilium adhibueris, qui poſtquàm morbi naturam, cauſas ejus ac ſymptomata diligenter inveſtigaverit, Thermarum cum fiduciâ uſurpandarum uſum rectè præſcribet.

Neque ſatis mirari queo rationem quorumdam Medicorum quos ſic jure meritò increpat Fallopius; ſunt enim, inquit, inter Medicos nonnulli qui poſtquàm valdè defatigarunt Ægros, & aliquando præter inſtitutum, viderint, quòd res non ſibi ſuccedit ſtatim, nullâ aliâ conſideratione habitâ, relegent miſeros patientes ad Aquas Thermales, tanquàm ad anchoram ſacram, non conſiderantes an aquæ illæ conveniant, vel potiùs ignari naturæ, tùm aquarum, tùm morbi, tùm utriuſque ſimùl, & ita quidquid agunt, nonniſi caſu agunt. Quod ſi temerè & contrà rectam indicationem uſurpentur Aquæ Thermales, morbos jam productos adaugere, & alios producere rectè monet Clariſſimus Bergerus; in earum autem uſu ſollicitè videndum eſt, ne alicubi in cavo corporis ſerum extrà vaſa hæreat, uti Aquæ Thermales

vi pollent serosum viscosumque cutis & vasorum infarctum; per meatus illius, & renum alvique itinera expellendi: sic sero extrà vasa misso, per easdem vias se facilè associant, & colluviem ejus augent; graviusque adeò malum reddunt. Id non semel observavi in Hydropicis pravo consilio thermopotantibus; qui à Thermarum abusu, vasis eorum plus æquò ab aquis dilatatis tam graves incurrebant noxas, ut nisi validioribus enematis & catharticis aquæ retentæ citò fuissent deturbatæ, tantùm non suffocarentur. Arceantur igitur Hydropici à Thermis, si contraria contrariis curantur, ut docet axioma, quomodò quæso Hydropici corpus propriis obrutum aquis, alienas eliminare poterit, neque objiciantur isthæc; clavus clavum trudit, unda pellit undam; rectè quidem? si solidarum partium tonus in Hydropicis satis esset vegetus ut aquas epotas propellere valeret, sed labefactatus id præstare nequit; adde quod frequentior Hydropis causa ex lymphaticorum vasorum disruptione vel viscerum obstructione procedat. Si à priori causâ, epotæ aquæ velut cribro succretæ, alvi capacitatem magis atque magis adimplebunt. Si ex posteriori, aquæ secerni non valentes in totum corporis habitum eundem magis tumefactutum redundabunt. Arceantur quoque alvi fluxu dysenteriâque laborantes, qui tamen perperàm ad Thermopotationem quandoque confugiunt; quasi verò Aquæ Borbonienses tantâ salis copiâ imprægnatæ, ventriculi intestinorumque fibras non lacesserent, dum earumdem Erethismus sedandus esset. Sicut equo currenti calcar addere, ita alvum nimis fluentem provocare periculosum.

Idem feras judicium de febribus, cujuscumque sint conditionis; ab aquarum usu recrudescunt, Thermæ enim massæ sanguineæ motum magis atque magis adaugent, turbant, proindè febrilem calorem intendunt, adde quod Thermales Aquæ tunc epotæ propter humorum confusionem vix evacuari possint.

Hæmoptyici cœterique hæmorragiis cujuscumque generis obnoxii, sive sanguis é naribus, ê venis ani, uteri vel è renibus profluat, Thermas deserant, quia Thermæ sanguinem nimis attenuando, vasa sanguifera dilatando, eadem nedum

ritè consolidata iterum reserare queunt, ac proindè sanguinis profluvium proritare. Procul etiam à Thermis qui internis ulceribus laborant, tum quòd materia purulenta à Thermarum calore incalescat, nimisque dissoluta, massæ sanguineæ eandem coinquinatura communicetur; tum quòd major quoque ad partem affectam humorum fiat affluxus, unde gravissima symptomata.

In fluxionibus ab acriori sero inductis, minùs conducunt Thermæ; præsertim si fluxio pectus vel oculos afficiat: materia enim morbifica à Thermis resoluta majori cum impetu affectas in partes irruit, catharros vel opthalmias paritura.

Thermæ colliquativos sudores inducunt phthisicis, eorumque symptomata exasperant; idcircò tumuli cura potiùs quàm sanitatis redintegratio à Thermis expectanda. Podagricos à Thermalibus Aquis lædi, aliosque podagræ insultus experiri necesse est; quia particulæ sanguinis à Thermis nimis attenuatæ, tenuiores per poros abeunt, crassiores verò relictæ tophos, contractiones procreare solent.

Idem dic de iis qui grandiori calculo in renibus laborant, quia calculus è sede suâ dimotus ab aquis; ureteres infarcire potest, proindè ischuriam producere. Jam lue vencreâ affecti Thermas fugiant, ne sopitum virus suscitetur, & in actum deducatur: hìnc enim symptomatum renovatio: præthereà lymphæ viscidit as in hoc affectu impedit quominùs aquæ per vasa & viscera facilè transire queant.

Quibus autem ex prolixiori morbo vires fractæ sunt, vel iis qui post vanam aliorum remediorum administrationem, labante jam naturâ mortis ostium pulsare videntur, minimé præscribantur Thermales Aquæ, harum enim copiam perferre non possent.

Tandem verò si principia massam sanguineam constituentia nimio motu donata, vel ut Chymici loquuntur, nimis exaltata sint, Thermæ non adhibendæ sunt. Verùm ubi eadem de motu suo remittunt, ubi viscidioribus impediuntur humoribus: unde eorum motus tam intestinus quàm progressivus retardatur, secretiones præpediuntur, fibrarum tonus elanguescit, tunc mirum in modum conferunt Thermæ.

Itaque Medicus Ægri & ægritudinis naturam ritè noſcat ut rectum Thermarum uſum præſcribat. At quoniam naturæ temperamenta multum inter ſe diſcrepant, mirum videri non debet ſi tam varius ſit hujuſce remedii eventus. variat quippè pro ratione ætatis, anni tempeſtatis, ſed maximè pro ratione diætæ ritè vel pravè tunc temporis obſervatæ.

Cœterùm Thermales Aquæ in quibuſdam faciliùs per alvum, in aliis per urinas, in nonnullis per ſudores eliminantur. Atque hoc pendet à facili vel difficili earumdem diſtributione, à laxitate tubulorum urinæ ſecretioni dicatorum, vel ab amplitudine pororum cutis: eodem enim ſemper agerent modo, ſi cuncta corpora eodem modo eſſent diſpoſita. Hìnc perperàm increpantur aquæ cùm earum effectus Ægrorum expectationi non reſpondeat, tunc prava Thermopotantis diſpoſitio, vel prava Thermas adhibendi ratio potiùs eſt increpanda.

III.

THERMOPOTATURUS ubi Borbonium pervenerit, ſi longum laborioſumque fuerit iter, unâ aut alterâ die quieſcat, neceſſe eſt. Poſteà ſi plethora vel natura morbi poſtulet, vena ſecanda eſt, ſi nulla ſit venæ ſectionis indicatio, tunc à leni cathartico pro præſentis Medici judicio incipiendum eſt, cùm enim plurimas Æger debeat pati evacuationes, vires ab initio fortiori purgante frangendæ non ſunt, ſed earum per remediorum adminiſtrationem maxima habenda eſt ratio. Tanti eſt momenti primas vacuandi vias ante Thermarum uſum, ut hâc cautione ſpretâ; graviſſimi indè oriantur affectus, ut multiplex eſt obſervatio, niſi enim primarum viarum humores cathartico eliminentur, difficiliorem aquarum per corpus tranſitum reddunt, atque in maſſam ſanguineam abripiuntur, hìnc febris ſubſequi ſolet, neque dicas Thermales aquas ipſas eſſe purgantes, fateor quidem, verum quia citò facilèque ſanguifera vaſa ſubeunt, eadem primarum viarum recrementis infarcire poſſunt. Vulgò rheum, ſal vegetale, manna, vel ſyrupi purgantes in uſum vocantur, eaque doſi quæ par eſt pro ætatis, temperamenti, & virium ratione.

Postridiè, ad thermopotationem, si indicata sit, te accingas: sunt enim affectus qui balnei duntaxat, vel stillicidii usum requirunt, velut affectus externi, vel à causâ externâ producti, dum autem thermopotatio utilis censetur, tibi sum Autor ut à mediocri quantitate incipias, ne nimio aquarum pondere stomachus gravetur, ejusque tonus relaxetur, at sensim ad uberiorem dosin progrediendum, juxtà Hypocratis consilium aphoristicum. Plurima & repentè vacuare, aut replere, aut calefacere, vel refrigerare, vel quovis alio modo temerè movere periculosum, omne enim nimium naturæ inimicum quod autem fit sensim, periculi Expers esse solet.

Certa quantitas aquæ potandæ, propter temperamentorum, ætatum, morborumque diversitatem, definiri nequit.

Verumtamen à sex ciathis quatuor uncias continentibus, ut plerumque inchoare licet, non simul, sed per vices; singulisque diebus augere duobus aliis ciathis donec ad duodecim vel quindecim, nec plus ultrà, perveneris, atque per dies octo, decem, duodecim, vel ad summum quatuordecim pro ratione affectûs recentis vel inveterati. Enim verò Borbonienses aquæ propter uberiorem salis quo imprægnantur copiam, cœteris efficaciores sunt, proindè in minori quantitate sunt epotandæ. Deindè per eosdem gradus, unde cœptum est, imminuere juvat. Porrò si duodecim aquarum acetaria, quantùm satis agant, his standum est, id est si quater aut quinquies alvum deponere faciant, aut urinas moveant: excretiones enim non à copiâ aut numero metiri oportet, sed prout qualia decet, feruntur, juxtà Divinum Senem. Duo autem sunt justa evacuationis signa, Ægri scilicèt alacritas & humoris qui in vitio est, excretio quæ à Thermopotante & Medico nosci possunt. In nonnullis affectibus major aquæ quantitas potanda venit, in his enim faciliùs, in his difficiliùs moventur humores, tum propter humorum fluxilitatem aut visciditatem, tum propter fibrarum stomachi tonum debiliorem aut vegetiorem. In Paralyticis *v. g.* inertiores sunt fibræ, proindè copiosius thermopotaturi sunt quàm pichrocoloi, quorum ventriculus mediocri aquæ quantitate solvitur: quia humores biliosi in actum facilè

agantur. Quod si aquæ primis diebus debitè non eliminentur, ne proindè ab earum usu desistas, quoniam primâ aut alterâ die vix dimidium aquæ potatæ redditur, ut plerumque. Verùm si tertiâ, quartâ vel quintâ die, nulla aquarum subsequatur evacuatio, licèt enemata & cathartica ad eorum vim acuendam, evacuationemque promovendam adhibita fuerint, tunc thermopotationi pertinaciter non insistendum, ne fiant novissima prioribus pejora.

In urgente casu quovis anni tempore adiri possunt Thermæ, adhibitis cautionibus adhibendis. Verùm cum morbus dat inducias nulla tempestate tutiùs ac salubriùs præscribitur Thermarum usus quàm sub verni atque æstivi temporis finem, hora verò ad thermopotationem opportunior sexta vel septima matutina censenda est, si cœlum sit serenum, fontem ipsum adeas, si pluviosum aut ventis perflatum securiùs in cubiculo thermopotabis, deambulando si per morbum liceat, ut faciliùs aquæ distribuantur, earumque transitus promoveatur, infirmiores tamen in lecto remanere possunt, calor enim lecti poros magis apertos servat, idque corporis motum compensat.

Rejectis maximam partem aquis quod post trium vel quatuor horarum à potatione spatium, ut plerumque fieri solet, jusculum assumendum vel ciathus vini si jusculum respuatur, at debiliores post binas à potatione horas talia possunt assumere.

IV.

PERACTA thermopotatione, externus aquarum usus instituitur, duplex est, balneatio nempè & stillicidium, balneatio quoque duplex: vel totum corpus in aquas immergitur, vel dimidia tantum corporis pars, quod semicupium vocant, convenitqué dum debile pectus est, vel æstuant præcordia, vel dum inferiores tantum partes velut in ischiadico dolore, lavare juvat. Balneatio manè, refectis somno viribus, jejunoque stomacho, ac in loco moderatè calido neque ventis perflato absolvitur, æstivo fervore benè manè lavandum est, ante lavationem vesica & alvus, si fieri potest, exonerentur, aquæ è fonte scaturientes pridiè serotinis horis in ædes transportentur, per duodecim horas defervescant

cânt, calidiùs enim balneum plurimis officit, maximè cachecticis, necnon iis qui apoplecticos passi sunt insultus. Cordis palpitationem, capitis dolorem, vigilias, alvi constipationem, inappetentiam, sitim, sudores superfluos, animi deliquium, febresque non raro inducunt fervidiores Thermæ, idcircò privatis in ædibus tepescant, in balneo patritio tuta non est lavatio, robustiores & pauperes in balneo ipsis dicato, vel in balneo dynastæ, lavari solent. Caput pileolo probè muniendum, ne balnei vaporibus feriatur, à potu frigido licèt tunc sitis urgeat, abstinendum. Debilioribus tantillum jusculi aut vini in balneo concedi potest, primâ die per horæ quadrantem, aut ad summum per dimidiam horam in balneo sistendum, sed subsequentibus diebus ad horam integram, vel horam & sesqui producere potes, sed ultrà lavare securum non est, maximè si ferveat aqua.

A balneo, calidum lectum repete, ac in eo circiter per horam commorare, ut sudor vel saltem transpiratio continuetur; tunc à somno non secùs ac in balneo abstinendum: posteà corpore linteis ritè deterso jusculum, ut reficiantur vires, est sorbendum. Utrùm balneatio cum potatione conjungi possit, anxiè inquirunt nonnulli, ut citiùs curam absolvant. Respondeo? quod, ob contrarios naturæ motus, satiùs sit potare, deindè lavare. Verùm robustiores post primas dies manè potare, serò lavare possunt; aliquando etiam eâdem tempestate post quindecim dierum quietem potatio & lavatio successivè tamen à robustioribus duntaxat reïterari potest, debiliores quippè tanto labori succumberent. Tempore lavationis vulgò sistitur alvus, enematibus facilè solvenda, vel ciatho uno aut altero Aquæ Thermalis in exitu balnei quâ sudor etiam promovetur.

Quandoque dantur affectus ita contumaces, tam inveterati, eorumque causa membris adeò est impacta ut balneationi & semicupio cedere nequeant, sed usum stillicidii, vulgò *Duccia*, postulent. Thermales Aquæ per fistulam ex alto deciduæ in coagulatos humores potentiùs agunt, eosdem faciliùs penetrant ac resolvunt, hinc stillicidium in frigidis tumoribus, contracturis, resolutionibus, in Paralysi, in Ischia-

dico Rheumaticoque dolore usurpari solet. Verùm capiti non admoveatur ne superveniat Apoplexia, sicut aliquoties observatum est, neque pectori & abdomini, massam enim sanguineam nimis exagitat, commovet & calefacit. Scapulis, humeris, brachiis, manibus, femoribus, cruribus, pedibus, quandoque lumbis tantummodò admovere licet, sub finem balneationis vel semicupii, cum iisdem cautionibus per balneationis tempus observatis, sudores enim & quidem validius movet quàm ipsa balneatio, bis in die, id est manè & serò dum necessarius videtur ejus usus, irrigatio fieri potest, totidemque diebus continuari ac balneatio aut semicupium, immò diutiùs si natura morbi postulet, per ampliorem aut strictiorem tubulum habitâ affectûs viriumque ratione; in balneo patritio utiliùs infunditur; quò enim calidior aqua, eò efficacior ejus irrigatio. Tandem remediis è Thermis desumptis per lutorum applicationem finis imponitur, quibus stillicidium convenit affectibus, utiliter admoventur, sed tepida partibus affectis lectum petendo veniunt applicanda; dum dessicantur, carnibus velut agglutinantur, Aquarum Thermalium ope facilè removenda. Lutum Borboniensium Thermarum partes resolutas mirè roborat, contractas reddit flexiles, fibrarum tonum firmat ac restituit, nec rarò quod Thermæ ipsæ & stillicidium efficere non potuerunt, feliciter præstant, post lutorum applicationem à stillicidio & balneatione desistendum, hæc enim ad humores evacuandos, dissolvendos instituuntur, illa verò ad partes roborandas admoventur.

V.

CERTA vivendi agendique ratio in aquarum usu est observanda, à quâ ne latum quidem unguem Ægros discedere citrá periculum non posse sapienter pronunciant Medicinæ Antistites, Leges autem has illis sic posuerunt: Thermas inconsultis Medicis non adeunto, quorum est præscribere tùm ciathorum aquæ diebus singulis potandæ numerum, tùm dierum quos valetudini per aquas curandæ opus erit impendere, utramque autem, nempè & aquæ & temporis quantitatem habità morbi, ætatis, imprimisque virium ratione, prudens determinabit, sed à præcepto discedere grande piaculum, cùm enim

cœteris in rebus, tùm vel maximè in curandâ valetudine nocere nihil magis solet quàm si modum nescias, & solemne illud quatenùs non observes. Thermæ non promiscuè adhibentur, sed retinendus ille ordo, ut potatio primas, balneatio secundas, irrigatio tertias obtineat: hisque tandem omnibus luti (siquidem necessaria videatur) impositio & applicatio succedat. Thermæ non sunt adhibendæ nisi corpore bellè priùs parato,& arte peritis tantùm priùs consultis. Illiusque Pliniani Recordantor, *in hac arte solâ evenit ut ùnicuique Medicum se profitenti credatur,cùm nullum sit periculum in ullo mendacio majus*. Thermopotantes & somnum meridianum & animi pathemata fugiunto, aërem frigidùm auramque serotinam diligenter vitanto, vino aquâ diluto utuntor, sobriè & parcè cœnanto, paulò lautiùs prandento; fructibus, crudis saltem ne vescantor, eduliis salsis, aromaticis, acetariis abstinento.

Remediis adhibendis ritè peractis purgatio reïteranda est, de illâ hoc pronunciatum sit: purgationi ut initium ita & finem debet quisquis aquarum usum benè sibi vertere peroptat: imò etiam die post aquas adhibitas circiter decimo quinto repetenda est purgatio, eâ maximè de causâ, quod toto illo fermè temporis spatio Aquæ Thermales in massam sanguineam adhùc agentes, præstent aliquam dissolutionem cathartico eliminandam, ne humores dissoluti nobiles in partes ferantur. Leges diætæ in aquarum usu statutæ diù posteà observentur, enim verò sæpè evenit ut qui Thermas adhibuerunt, ii post quoddam levamen se curatos prorsùs existimantes, nimiùmque sibi indulgentes, recidivam neglectâ diætâ patiantur, corpus adversùs aëris inclementiam diù ritè muniatur, ne pori aquarum usu dilatati citiùs obturentur, & materia transpirationis tunc uberior, intùs cohibeatur. Cœterùm per aliquod tempus ab aliis remediis abstinebis, ne natura post tot labores debilitata prorsùs labefactetur dum esset redintegranda. Uno verbo memineris quod neglectis diætæ præceptis oleum & operam perdideris.

Ergo aliquis in Aquarum Borboniensium usu servandus ordo.

QUÆSTIO MEDICA.

An Literatis Apoplexiæ Obnoxiis Thermales Aquæ Borbonienſes.

I.

QUANTA ſit in humanum genus ſævitia morborum, nemo eſt qui ignoret. Quotquot ſunt in corpore partes, & organa: in totidem morbus tyrannidem ſuam ſolet exercere. Quis à morbo ſe vindicare poteſt. Vix inter ſexentos unum reperire eſt qui diuturnam & ab omni affectu vacuam tranſigat vitam, eumque ſeriùs occyùs libitinæ præcurſori tributum pendere ſtatutum eſt. Nulli morbus parcit ætati, ſexui nulli, nulli temperamento; nullam tempeſtatem, regionem nullam relinquit intactam; nulli indulget conditioni; in omnes graſſatur indiſcriminatim, verbo dicam protoparentis culpam per morbos luere poſteros, neceſſum eſt: atque hoc quidem nemo homo eſt qui quotidiè non experiatur; ſanè quòd homines voluptatibus dediti, luxuriando bacchandoque vitam per morbos contrahant; quid mirum? at quòd literati præſertim qui quaſi ad amuſſim & temperantiæ ipſius normam dirigunt omnem vitæ rationem, frequentiùs faciliùſque morborum imperio ſubmittantur: id enim verò tàm verum eſt, quàm luctuoſum, nec mirum: literatorum vitæ genus attende: ad morbos valdè pronum eſſe deprehendes. Quis non videt vitam ſedentariam, exercitii defectum, vigilias mille malis anſam præbere. Quis ignorat literatos cùm uti modicis exercitationibus, vel nolint, vel nequeant præcipuo defraudari ſanitatis ſubſidio, Valetudini ſi vis indulgere, ne ſis ad laborem ſegnis. Proficuus eſt ſanitati motus moderatus; nihil tàm ad perfectam confert chyloſin, nihil æquè ſanguinis circuitum promovet, nihil tám humorum ſecretionem adjuvat, nihil ita ſpirituum tranſcolationi diſtributionique favet. An verò deficit motus & exercitatio; hinc prima tot malorum labes, functiones elangueſcunt, proſternitur appetitus, maximê ſi nimiæ adſint animi contentiones quæ ſunt à literatis individuæ; ac

proindè virium jactura, ſpirituum diſſipatio: undè chylus fit craſſior, ſanguis viſcoſior, bilis compactior, lympha crudior, ſpiritus parcior & ſegnior. Porrò ex hoc ſonte derivata clades fluit in literatos, ita ut funeſtam Pandoræ pixidim iis potiſſimùm apertam eſſe dixeris. An quia muſis inſerviunt, Parcarum invidiam cummovent. Quidquid ſit, dolenda eſt hominum ad libros ſedentium ſors; quippè qui ad tot calamitates nati videntur. Qui ſtudiis & meditationibus non parcit, vitæ minùs parcit. Proindè literatis ut plerùmque macies, pallor, ſtomachi imbecillitas, catarrhus, rheumatiſmus, nephritis, calculus, podagra, capitis dolor & gravitas, & quòd malorum cumulus eſt, interdùm Apoplexia ſupervenit, fatalis ille ſtudiis ſimùl, & vitæ terminus ac meta.

II.

CUR tam infenſo morbo literati ſint obnoxii, jam ſcire cupis, id quidem tibi omnibuſque Doctis terrorem incutit, debetque incutere, cum res & tua & ipſorum agatur, caputque ſpectet ac vitam, fortè etiam inquies, quid proderunt in poſterum victus ratio, temperantiæ Leges, ſi literati qui ſanè maximam partem ſobrii ſunt, & à vitiis hujuſmodi periculoſum inducentibus affectum plerumque alieni, Apoplexiâ tamen quandoque immò & fortè citiùs ac ſæpius quam cæteri hominum corripiantur. At cohibe querulam, non vino ſemper, non libidinibus tantum, non aleâ ſolâ, non immodicis corporis laboribus ſanitas corrumpitur, ſunt etiam & aliæ viæ quibus ipſa frangi poteſt, quibus vita ceſſare & anima è ſua ſede ſubitò dejici valet. At quænam ſunt tales cauſæ, plurimæ quidem præter memoratas & literatis velut peculiares. Vis eas percurrere, ut iis cognitis, effectus earum faciliùs poſſint occupari. Primò occuret tibi vita ſedentaria, hoc adeò verum eſt ut ruſticani & laborioſi numquam ferè Aploplexiâ tententur. Curæ, ſolicitudines quibus ſæpè ſæpiùs anguntur litterati ad Apoplexiæ productionem conferunt, his accedunt lucubrationes plerorumque muſæorum gravius cœlum, candelarum maximé ſebatarum, vel craſſiorum oleorum fumus neceſſariò exhauſtus, quippè qui caput & pectus opplet, nervoſo generi nocet, ſpiritus inquinat, & ſic ad

Apoplexiam disponit. Præterea statim à cibo cogitatio literatis tam usitata, sed minimè tuta; à studiis enim post pastum; spiritus in emporio remanent: proindè chylosis adminiculum subtrahitur. Hinc ejusdem promovendæ causâ nonnulli litterati ad spirituosos liquores, spirituumque recreandorum gratiâ ad décoctum caffe & succolatam confugiunt, iisque nimium indulgent; periculosa sanè allucinatio. Liquores spirituosi chylosis opus pervertunt, & alia id genus motum quidem spirituum adaugent, sed eos citiùs discutiunt, undè faciliùs contingere potest Apoplexia, fuit enim à nonnullis Medicis observatum, affectum hunc longè frequentiorem esse, ex quo talium potuum cœpit usus esse frequentior. Esto inquiet aliquis, hæc omnia sanitatem depravent, mortemque paulatim accelerent quòd autem subitam valeant accersere Apoplexiam, jam fides abit, redibit tamen, si causas hujus éventus tantisper perpendis: pluribus omissis duas istàs considera. Una ex nimiâ animi contentione repetitur, quâ quidem spiritus ita dissipantur, vel in cerebro ita retinentur, ut influxus eorum, vel intercipiatur, vec eâ copiâ quâ par est ad functiones obeundas non fiat. Altera verò causa talis est ut amplius obscurum esse nequeat cur frequentius literatos vexet Apoplexia, videlicet organa cerebri in iis propter continuam à spiritibus animalibus tensionem tandem àliquando deteruntur, Juxta illud axioma, agens agendo reparitur. Quare necesse est illa organa subsidere, cumque transmittendo spirituum effluvio cessent esse apta, tum existit illicò functionum animalium cessatio, tum etiam existit Apoplexia.

III.

CAPUT graviorum affectuum sedem esse apud omnes Artis Medicæ peritos est in confesso. Esto sit pars illa corporis longè nobilissima, nobilioribusque, tùm corporis, tùm mentis functionibus destinata, sit animæ domicilium, sit sensuum tàm internorum quàm externorum organum; sit fons spirituum atque emporium; sit deniquè hæc una sola cæterarum omnium partium quasi compendium: nullâ tamen suprà cœteras, cùm de morbis agitur, gaudet prærogativâ, & suos eosque tristissimos! proh dolor; patitur manes. Atque ut ne

per singula discurramus, quis affectus capitis tristior quàm qui à Græcis Apoplexia cognominatur à verbo Αποπλητειν, à Latinis verò *Syderatio*, vel *Morbus attonitus*; siquidem qui tali corripitur morbo, protinùs in terram corruit, velut esset fulmine ictus, in somnum labitur profundissimum, qui non mortis tantùm sit imago vera, sed etiam certissimus mortis prodromus à nonnullis nuncupatur? nec immeritò. Nam in Apoplectico sic quasi in mortuo omnes ferè functiones tùm mentis tùm corporis desinunt; remanet quidem pulsus, superest etiam respiratio: at gemina illa functio tàm ægrè perficitur, ut Apoplecticum à mortuo vix discernas: hinc spectaculum illud immane, horrendum, ingens, quod oculos animosque adeò percellit, ut antequàm ab eo respirare potuerint adstantes, ipsemet æger expiret. Terribilis planè morbus, atque haud scio an illo quidquam terribilius habeat mors, quam Aristoteles dicebat esse omnium terribilium terribilissimum. Insensi sanè hujusce affectus mors est pedissequa & vulgò comes individua: vivat tamen adhuc qui fuerit ictus apoplexiâ; etenim.

Non aliter stupuit quàm qui Jovis ignibus ictus,
Vivit & est vitæ nescius ipse suæ.

Vivat igitur, imò & suæ vivat conscius vitæ: At cujus vitæ? ejus scilicet quæ vix illi det & vegetare cum plantis propter marcorem, & sentire cum brutis propter paralysin residuam, & discurrere cum hominibus propter aphoniam, balbutiem, subitamque memoriæ debilitatem aut jacturam: uno verbo ejus vitæ quam propter imminentem singulis momentis Apoplexiæ reditum mors insidiatrix suâ falce brevi præcidet. Ita miseris mortalibus sternitur, ut inopina, sic certa leti via. Jam ad aspectum affectus tàm stupendi, quàm pronum est indoctæ plebi cohorrescere, tàm promptum eruditis viris, quò illum antevertant inquirere, quà potissimùm in capitis parte sedem ac quasi domicilium constituat Apoplexia. Toti sunt, ut par est, in conspiciendo cerebro, duces illos sequi, ne pigeat. Aperto cranio statim se exhibet moles quædam totam illius cavitatem occupans, duplici investita membranâ cerebrum & cerebellum constituens, duplici moles hæc constat substantiâ, altera coloris est cinericei, quæ corticalis, altera

candidioris, quæ medullaris appellatur, at quantò Deus immortalis, ſubſtantia iſta artificio conſtructa eſt, quantò quámque exquiſitâ arte complicatur; microſcopium ſi adhibeas, deprehendes corticalem ſubſtantiam eſſe acervum innumerabilium glandularum, ſeu mavis cum recentioribus canaliculorum glomeraminum, figurâ & magnitudine diſcrepantium, vaſiſque ſanguiſeris racematim adhærentium. Subſtantiam verò medullarem pro maximâ parte conſtare tubuloſis ductibus, qui deindè in faſciculos collecti, tunicíſque membranaceis involuti, nervi vocantur. Quis verò neſcit utriuſque ſubſtantiæ uſum? proprietates? ſanè in corticalis ſubſtantiæ glandulis fit ſequeſtratio ſpirituum animalium, qui nihil aliud ſunt quam pars ſubtilior, mobilior, atque volatilior ſanguinis in cerebrum delati per arterias carotides atque vertebrales in plurimos diviſas ramos, quorum nonnulli in cerebri ſubſtantiam diſtribuuntur, ut ibi materia ſpirituoſa in glandulis ad ſequeſtrationem deponatur. Porrò ſpiritus ſeparati in medullari ſubſtantiâ excipiuntur, ibiquè velut in emporio (idcircò hoc nomine donatur ſubſtantia medullaris) remanent, donec naturaliter ex cerebello, vel pro animæ nutu ex cerebro in nervos influant ad motiones, ſenſationeſque tàm voluntarias quàm involuntarias. Eſt enim ſpiritûs motus ſenſûſque autor. Quod ſi diligentiùs in cerebrum intuearis, occurrent tibi partes aliæ quas obſervaſſe non pœnitebit, nempè cavitates quæ ventriculi cerebri vocantur: corpus calloſum nervorum ſenſoriorum principium, fornix, ſeptum lucidum; imprimiſque illa glandula pinealis cui clariſſimus Cartheſius varios & nobiles quidem aſſignat uſus. At occulatiſſimorum doctiſſimorumque Anatomicorum autoritate, rationibus, obſervationibuſque impulſus facilè crediderim nobiliores mentis functiones è duplici ſubſtantiâ de quà ſuprà, eſſe repetendas. Quando quidem ex illa prodeunt ſpiritus quorum ope omnes non ſolùm corporis; ſed etiam mentis functiones peraguntur. Poſt ſtructuram cerebri ſic adumbratam videtur jam non eſſe quod de Apoplexiæ ſede Poſſit ambigi. Nam omiſſis variis variorum opinionibus; longè veriſimilior eſt eorum ſententia, qui in ipsâ cerebri ſubſtantiâ tanquam in propriâ ſede Apoplexiam conſtituunt. Cumque

illis

illis ſic diſputare eſt. Apoplexia ex unanimi conſenſu eſt ceſſatio functionum animalium à denegato ſpirituum influxu. Atqui ſpiritus non habent aliud domicilium quàm illam duplicem de quâ mox, cerebri ſubſtantiam; tùm quia in eâ cerebri parte ſeparantur, in quâ reperiuntur organa ad eorum ſeparationem idonea, ut glandulæ corticales, tùm quòd ex eâ facilis ſit illis in nervos influxus: tùm deniquè quia ex hac ſubſtantiâ tubuli nervei oriuntur, ut liquido patet in ſubſtantiâ corticali & medullari: undè ſequitur utramque ſubſtantiam Apoplexiæ ſedem eſſe, non autem ſpinam medullarem, ut contendunt aliqui Moderni, multominùs cerebri ventriculos ut veteribus placuit. Sed hæc non ſine grano micâque ſalis ſunt accipienda, cùm enim ſit maximum diſcrimen inter Apoplexiam fortem & Apoplexiam debilem, par eſt ut alterius ſedes ab alterius ſede diſtinguatur. Quæ debilis eſt in ſubſtantiâ cerebri ipſius, quæ verò fortis non tantùm in cerebri, ſed etiam in cerebelli ſubſtantiâ reſidet.

Quòd ſi jam quæras quid ſit inter utramque diſcriminis: facilis eſt reſponſio. Fortis enim illa dicitur in quâ cerebrum & cerebellum ſimùl afficiuntur, unde ægri omni ſenſu motuque privantur, neque ad has functiones ampliùs redeunt, at brevi ſuffocantur abbolitâ reſpiratione, interceptoque pulſu. Debilis verò illa eſt in quâ cerebrum tantummodò afficitur, unde reſpiratio & pulſus perficiuntur quidem, ſed ægrè: hæc autem ſpecies non eſt ſemper ad mortem, ſed plerumque in Paralyſin degenerat.

Ad allatam mox Apoplexiæ differentiam quæ, ut vides, ratione ſmyptomatum inſtituitur? accidit celebris illa quæ ex ejus cauſis repetitur, ratione quarum Apoplexia dividitur in ſanguineam & humoralem. Utramque adverte, ut poſt explicatam naturam, ſedem & præcipuas Apoplexiæ ſpecies ad ejus cauſas cognoſcendas faciliùs animum applices.

Apoplexia ſanguinea eſt illa quæ ortum ſuum habet à nimiâ ſanguinis copiâ, nimia ejuſdem effervescentiâ, vel ab intempeſtivâ ejus extravaſatione.

Humoralis verò Apoplexia oritur ab aliquo peccantium, vel in quantitate, vel in qualitate vitio. Hæc diſtinctio tanti eſt momenti ut, illâ neglectâ, non niſi infeliciter ad Apoplectici curationem procedatur.

IV.

QUOD ſpectat ad Apoplexiæ cauſas, videtur in hoc affectu contingere quod cæteris in rebus uſuvenit, ut nimirum cauſæ ſint illius morbi duplices, aliæ proximæ, remotæ aliæ, & hæ quidem vel internæ vel externæ. Sic enim à naturâ ſumus comparati, ut corpora non externis tantum vitiis, ſed & internis, immò etiam utriſque interdum læduntur. Cauſa proxima Apoplexiæ eſt prohibitus ſpirituum animalium è cerebro per nervos deſcenſus, cauſa verò remota non eſt alia quam ipſemet aut ſanguis aut humor aliquis, ſanguis quidem vel nimiâ delatus in cerebrum copiâ, vel in eodem nimis efferveſcens, aut extravaſatus adeò ut cerebri vaſa nimis diſtenta coarctent & comprimant glandulas, ac proindè ſpirituum animalium ſequeſtrationem impediant, multo faciliùs ſi hæc vaſa rumpi contingat, quia inde ſanguinis ſtagnatio, cerebri oppletio, aggravatio: indè nulla ſpirituum ſecretio, nulla ſenſatio & motio, uno verbo Apoplexia ſanguinea, idem contingere poteſt ab humoribus lymphaticis, ſeu craſſis ſeu fluidis. Craſſi enim humores tenaceſque per corticales glandulas haud facilè circulantur, adeòque gravant & opplent cerebrum, ut Apoplexiam vel ſoporoſos affectus valeant inducere. Fluidi verò humores majori quantitate in cerebri vaſis cumulati & ſtagnantes ſubſtantiam ejus inundant, opprimunt, glandulas obſtruunt, proindè ſpirituum animalium ſeparationem impediunt. Adde quod pus, abſceſſus, hydatides & variolæ in meningibus, calculi in cerebri ſubſtantiâ geniti, Apoplexiam interdùm generent. Et hæ ſunt cauſæ internæ hujuſce affectûs, externæ verò cauſæ ſunt complures. Hoc in numero ſunt capitis ictus, cerebri depreſſio, relicta ab Avis & Proavis quaſi hereditaria diſpoſitio; ut in multis Narcoticorum frequentior uſus, ut in pluribus inſpiratus ſulphuris in carbone contenti fumus, ut etiam ætas ſenilis ob languidas coctiones, tardas ſecretiones, & ſanguinem effœtum ac vapeſcentem: ſic enim humores craſſiores tenacioreſque evadunt quàm ut poſſint materiam ad ſpirituum formationem idoneam ſuppeditare. His omnibus adde

rerum non naturalium abusum, vel intemperiem; talis est paludosorum humidorumque habitatio locorum; talis est aëris constitutio, maximè pluviosa, austrina & hyemalis quæ humores accumulando & fundendo ad Apoplexiam disponunt: talis est immodicus vini aut liquorum spirituosorum potus: talis alimentorum & aromaticorum immoderatus usus; item somnus longior & intempestivus præsertim meridianus in non assuetis; fluxiones enim movet, corpus enervat, gravat caput, plus justo humectat & refrigerat: indè cruditates in toto corpore prædominantur: indè spirituum animalium torpedo ac gravedo. Tales sunt evacuationes consuetæ statim suppressæ, ut ulcera subitò sanata: talia deniquè sunt animi pathemata varia, ut ira, tristitia, terror & pudor, & alia hujusmodi, quæ ut sæpè observatum est Apoplexiam accersunt.

Porrò quàm variæ sunt hujus affectûs causæ, tàm varia sunt signa quæ in hujusce morbi notitiam possunt nos deducere. Apoplexiam alia sanguineam, humoralem alia indicant; nonnulla sunt utrique communia, adeò variè debet institui morbi præsentis diagnosis.

Signa communia sunt subita motûs sensûsque privatio, indè in terram collapsus, cum difficili respiratione immò & stertore cumque somno-præternaturali.

Signa verò própria Apoplexiæ sanguineæ sunt color faciei rubicundus, pulsus magnus ac plenus, vasa colli & faciei sanguifera valdè turgentia.

Humoralis verò Apoplexiæ signa propria sunt faciei color pallidus, pulsus tardus & parvus. At hæc omnia signa paroxismum comitantur, adsunt enim alia quandoque paroxismum præcedentia, videlicèt in Apoplexiâ sanguineâ plethora, victus liberalior, consuetæ sanguinis suppressæ evacuationes. Signa humoralem Apoplexiam præcedentia, ac velut illius prodromi sunt magno numero, nempè torpor, dolor capitis gravativus, segnities, vertigo, somnolentia, consueta humorum serosorum per nares aut fauces, vel puris per ulcera evacuatio cohibita. Porrò signis illis quibus Apoplexiæ diagnosis continetur, adjungere potes illa quæ distinctiva nominantur; quamvis enim quandam cum aliis soporosis affectibus affinitatem habeat

Apoplexia, magno tamen differt ab illis intervallo, & quidem differt à Lethargo, quia Lethargus sensim & cum febre corripit. A caro discrepat, quia in caro ægri vellicati sentiunt, vocati oculos aperiunt & audiunt; Apoplectici verò nullatenus. A Catalepsi distinguitur, quia Cataleptici in eodem statu in quo fuere correpti remanent, at Apoplectici in terram semper corruunt. A syncope discernitur, quia in syncope pulsus ablatus videtur, sed observatur in Apoplexiâ. Suffocationi uterinæ dissimilis est, quòd in hac color faciei admodùm mutetur, at in Apoplexiâ præsertim si sanguinea fuerit, subindè magis vividus apparet. Tandem verò à catharro suffocativo internoscitur, quia in illo sensus motusque sicut in Apoplexiâ non aboletur. Quod si jam habitâ Apoplexiæ per diagnosin sufficienti cognitione, ac prognosin te convertas, quam verò & qualem institui posse de hoc affectu existimandum est. Sanè si Hypocratem audias, nonnisi periculosa prognosis potest institui, cùmque in id Divinus Senex plurimis in locis indicat, tùm maximè in *Aphorismo* 42. *sect.* 2. ubi sic loquitur. *Apoplexiam fortem impossibile est solvere, debilem verò non facilè.*

V.

IN QUIRIS nunc de Apoplexiæ curatione, quo nomine debilem tantùm intellige, fortis enim, neque naturâ, neque arte curatur, Teste Medicinæ Oraculo. Quare ad apoplecticum vocatus statim prognosin instituas, ne arti tuæ vel tuo nomini, si parùm cautè processeris, imprudens inuras maculam. Deindè post prognostica instituta, cuncta remedia potentiora ipsamet adhibe. Etenim si unquam Hypocratis effatum valuit, maximè in Apoplexiâ locum habere debet, extrema extremis. Jam quod caput est, curationem duplici modo spectandam esse scias, nimirùm prout in paroxismo vel extra paroxismum fuerit ægrotus, aliter ad Apoplexiæ sanguineæ, aliter ad humoralis curationem videtur esse procedendum: ac primoquidem ubi sanguineum hunc affectum deprehenderis, illicò venæ sectiones præscribe, videlicet ut vasa depleantur, ut sanguinis effervescentia compescatur, ut suum faciliùs sanguis perficiat circuitum. Idcircò remedia massam

ſanguineam exagitantia, nullatenùs tunc ſunt ſuadenda. Tales ſunt ſpiritus & ſales volatiles quos ad Apoplexiam depellendam in vaſa ingerere nefas eſſe dicit Clariſſimus Pitcarn. Quod quidem de ſanguineâ non autem de humorali apertè ſignificat laudatus Autor: cùm enim ſtatim ſubjungat hæc verba, niſi id poſtulet ſanguis viſcidus, ſicut reverâ poſtulat in Apoplexiâ humorali, quæ ab humoribus potiſſimùm viſcidis & tenacibus ortum ſuum debet. Quod ſi humoralem Apoplexiam eſſe deprehendas, tunc totam ſpirituum ſaliumque volatilium ſupellectilem adhibeas, velut cornu cervi, eboris, viperæ, & alia id genus, ut oleum cinamomi, theriacam veterem, aquam Meliſſæ, quæ torpidos valent ſuſcitare ſpiritus, adeòque illos in priſtinam vindicare libertatem. Mirùm quàm ad hoc confert ſpiritus volatilis ſalis ammoniaci, non modò temporibus admotus, naribus inſuflatus, ſed etiam cum idoneo vehiculo, velut aquâ ſalviæ betonicæ, ore exceptus, præ cœteris remediis palmam præripit, & in hoc affectu omnes ferè indicationes adimplet. Quid plura non negligenda ſunt emetica & enemata fortiora, videlicèt cum vino emetico. Quòd ſi ſatis non ſuccedant hæc remedia è fonte pharmaceutico deſumpta: prodeant enim verò, per me licet, prodeant è fonte chirurgico præſidia, applicentur cucurbiculæ ſcarificatæ ſpinæ dorſi, immò & occipiti, admoveatur temporibus vaſiſque hæmorroïdalibus.

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Neque verò ſola res hìc agitur Medicorum, pars curationis aliqua circumſtantibus eſt committenda, aures ægri continuis clamoribus implendæ, proprio nomine, altà voce, plenis buccis illum appellent, ſic fiet ut ſpiritus animales faciliùs motui conſueto inſerviant, faciliùſque in nervos influant. Dies nos deficeret, ſi quæ ab autoribus præſcribuntur remedia perluſtrare omnia animus eſſet. His omiſſis præocupandæ atque antevertendæ Apoplexiæ methodum intueamur. Cujus quidem methodi tantò quiſque debet eſſe ſtudioſior, quantò certiùs eſt pernicioſum hunc affectum adeò formidandum eſſe, ut qui ſemel eo fuerit correptus, non ſolùm paralyſi, memoriæ debilitate vel aphoniâ ſoleat affici, verùm etiam quod funeſtiùs

est, in hunc recidat morbum, nisi optimo regimine id præcaveat & summopere ea omnia quæ huic affectui præbent occasionem effugiat. Ad præcavendam igitur Apoplexiam sanguineam nihil utiliùs est venæ sectione subinde celebratâ, fugienda imprimis crapula, liquorum spirituosolum abusus tanquam aliquod angue pejus est evitandus. Ad Apoplexiam verò humoralem præcavendam, purgationes ex intervallo institutæ conferunt ideò maxime quia causas morbi removent, & effectus emendant, exercitia moderata prosunt, sommo longo, maxime meridiano, non secùs ac immodicis vigiliis est abstinendum, aër humidus & paludosus est fugiendus; caput contra injurias hybernas muniendum. Verum nulla re magis affectus iste potest anteverti aut corrigi quam tempestivo aquarum thermalium Borboniensium, atque methodico usu, certè à paralysi si quæ residua est post Apoplexiam, liberat, paroxismos alios præoccupat, uno verbo tutiùs citiùs jucundiùsque remedium in hoc affectu præcavendo nullum potest adhiberi. *Ergo Literatis Apoplexiæ Obnoxiis Aquæ Thermales Borbonienses.*

QUÆSTIO MEDICA.

An Paralysi Thermæ Borbonienses.

I

HUMANUM corpus dùm valet, ritèque suo fungitur officio; absolutissimum quidem supremi rerum Conditoris opus, naturæ miraculum, universi epitome, aliisque titulis insignitur, at si forte laborat idem, quam multis infamari solet apellationibus, quam verum illud Poëtæ, *pulvis umbra sumus*, Sanitas videlicèt summa humanæ felicitatis est felicitas; morbus verò summa humanæ miseriæ miseria. Utriusque vim otiosè mirari quid attinet? siste parumper in contemplatione causarum utriusque efficientium? quid igitur sanitatem? quid morbum efficit? in motum & sensum oculos intende? nec aberrabis à vero si hoc quasi

pede duplici sanitatem ac morbum metiri tibi contigerit. Motu quasi cardine tota vertitur vita, cùmque illo hæc ita conjuncta est, ut vivere idem ferè sonet, ac se movere. Unde primum vitæ indicium ? à motu. Unde primum mortis signum ? à cessatione motus. Adeò verum est quod aïebat Philosophorum Princeps, rerum naturalium vitam in ipso motu contineri. At vita quid proderit ipsa, nisi sana ? sensum igitur motui conjunge, motus enim & sensus præcipuæ sunt humani corporis functiones : ab earum integritate sanitas : ab earumdem vitio morbus. Si deficiat alterutrâ, vix homo vivit ; si utraque, hunc potiùs stipitem quam corpus vivens dixeris ; haud absimilem simulachris de quibus Vates Regius cecinit, pedes habent & non ambulant, manus habent & non palpant : atque hæc est hominis paralytici conditio, quâ tristiùs nihil, nihil luctuosiùs potest excogitari : quippè is affectus cum denegatum vel interceptum spirituum animalium à quibus functiones perficiuntur omnes, in partes nerveas influxum præsuponat, nihil aliud jam relinquere videtur Paralytico, nisi ut cadaveris instar inter homines habeatur.

II

CUM igitur spirituum animalium ratio propè unica habenda sit in affectu Paralytico ; statim observa quam illorum ideam habere debeas : spiritur animales veluti radios solis in microcosmo concipias, qui si deficiant, humana machina languescit, brevique dissolvitur. Solis accensu, ejusque radiorum influxu, quid quotidiè non efficitur in hac rerum universitate. Tellus fovetur ; superficies ejus ad hilaritatem quasi componitur, prata rident, totaque natura novam induit formam. At ubi sol obscurari cernitur, radiorumque influxus inhiberi ; tum terra tetris offusa tenebris, ad mœrorem & tristitiam apparet pullata. Atque hoc ferè est quod in microcosmo contingit : dùm enim spirituum animalium sit influxus, corpus tunc animatur.

Spiritus intùs alit, totamque infusa per artus.
Mens agitat molem

At ubi denegatur spirituum irradatio, membra flacces-

cunt, torpent, omni prorsùs inepta motui, jam si spiritus animales id sint in homine quod radii solares in orbe: Quid mirum quod sapientissimo providentiæ consilio factum sit, ut sicut in editiore cælo sol positus est in unversi subsidium, sic spirituum animalium emporium in supremâ corporis parte sit positum, ut inferiores facilius irradient spiritus, utpotè præcipua Arcis Palladis subsidia. Cæterùm ita mobiles tam agiles sunt spiritus animales, ut vel levi animæ nutui statim obsequantur, Eorum materia ita subtilis, ut oculorum aciem effugiat, at licèt sub sensus noncadant spiritus, nihil tamen de illorum certitudine detrahit exilitas. Per tubulos nerveos cerebro, cerebello & medulari spinæ ortum debentes, sic quasi per canales jugiter in partes influunt ac refluunt; si quid verò influxum illum ac refluxum impediat tunc intercipitur distributio, ac proindè nervus laxatur, vivida musculorum vis elanguescit, fibrarum nervearum quæ solæ motûs & sensûs organa sunt: elater atteritur; hinc motûs sensûsque privatio; hinc Paralysis. Porrò cum nervi alii sint motorii, sensorii alii: hoc posito discrimine certam ac compendiariam habes viam ad explicandum Phænomenon, quod non leve Medicis in hoc affectu facessere solet negotium. Putà cur sensus pereunte motu quandoque remaneat, & vice versá cur pereunte sensu, superstes sit motus. Ratio autem hæc impromptu est: nempè quod hi vel illi obstruantur vel afficiantur nervi. Spiritus quidem animales motum aut sensum indiscriminatim valent efficere, sed pro functionum diversitate ad diversa per quæ spiritus subministrantur recurrendum est organa: atque ut ad proprias functiones dantur nervi optici, olfatorii, acoustici, & sic ad sensationes sensorii & ad motum motorii nervi requiruntur. Verùm quia partes absque membranis vix concipere est; hinc longè difficilius perit sensus quàm motus, adde quod copiosior spirituum influxus ad motionem quam ad sensationem requiratur.

Itaque in hoc affectu sensus deficit, cum membranæ; motus verò cum musculi: uterque autem cum utraque hæc afficiuntur organa.

Atque

III.

ATQUE ut ad propositum accedas propiùs, pronum est statuere in explicato motûs & sensûs defectu, eoque vel unum vel plures corporis partes urgente, situm esse affectum illum de quo disputatur. De quo quidem si quæstio est, quid nominis? Paralysin Greci vocant, Latini verò resolutionem. Si verò quæstio est, quid rei? præternaturalis partium nervearum laxitas audit: sed quia nervearum partium elater; vel duntaxat interdum minuitur, vel penitùs interdùm aboletur: hinc varia Paralyseos discrimina. Jam verò si motus pariter & sensus à nervearum fibrarum resolutione pereunt; tunc perfecta Paralysis dicitur: imperfecta verò si tantum deficiat alteruter. Neque hoc satis: alias enim adhuc differentias patitur Paralysis: siquidem cum omnes sensus externi, simulque motûs omnes voluntarii pereunt: tùm universalis dicitur Paralysis, & meritò cum Apoplexiâ confunditur, cum autem resolutio quibusdam fit duntaxat in partibus; tùm particularis est Paralysis cujus quidem variæ recensentur species, scilicet pro resolutarum partium varietate; ac proinde Paralysis, alia est oculorum alia linguæ, oris, brachii, manus, cruris, pedis, *&c.* Neque velim existimes partes corporis internas ab teterrimo hoc affectu semper esse intactas, non parcit, mihi crede; ventriculo non intestinis, non sphincteri ani, & vesicæ, suâ enim quoque Paralysi partes illæ interdum laborant. Quin etiam cor ipsum in morte repentina, qualis illa solet esse, cujus manifesta causa apparet nulla, suam quoque pati Paralysin, censendum est. De Hemiplegiâ & Paraplegiâ quæ suos Apoplexiæ natales debent; dubitat nemo quin ad particularis Paralysis species sint revocandæ. Hæc enim contingit dúm illæso capite subjectæ partes reliquæ relaxantur, illa veró dúm corpus mediâ sui parte, putà alterutro brachio ac crure ex eodem latere illi respondente resolvitur, scio quidem à nonnullis deffendi affectus illos esse peculiares & à Paralysi diversos, at quâ ratione deffendunt, non video satis: quandoquidem hi affectus diversas non agnoscant causas, neque diversam à Paralysi requirant medelam.

Ut ut ſit, cave ne oris diſtorſionem à Paralyſi relictam cum eâ quæ ex convulſione eſt, temerè confundas. Magnum enim eſt Paralyticam inter & convulſam partem, diſcrimen, in Paralyſi, ſana pars ægram trahit, contra in ſpaſmo pars ægra ſanam adducit, prætereà pars Paralytica mollis eſt, atque flaccida, convulſa veró rigida firmiterque contracta.

Hæc de Paralyſeos differentiis ſufficiant. Mitto Paraliſin illam quam Vuilliſius ſtatuit calidam ſeu bilioſam utpotè rariſſimam ac vix ac ne vix quidem ſatis obſervatam.

Mitto pariter illam quam apud Cælium Aurelianum memorat Eraſiſtratus, quamque, quia vix reperire licet; Paradoxum apellat: in quâ videlicet ambulantes ita repentè ſiſtuntur ut ambulare non valeant, tùm iidem illi anteà immoti, poſteà ruptis quaſi vinculis ſinuntur ambulare quod quidem ſi ita eſt ut memorat, accidere dixeris, à flatibus qui ſic muſculos diſtendunt, ut brevi temporis ſpatio, illis uti minimè liceat; ſed hæc omitto. Tu, dùm ad alia propero, obſerva quænam ſit Paralyſeos diagnoſis. Manifeſta illa eſt in ipſâ corporis ad motum vel ſenſum, aut etiam ad utrumque impotentiâ.

IV.

PRIUSQUAM ad tam gravis affectûs curationem te accingas, cauſas ejus diligenter inveſtigare operæ prætium eſt; nam

Ignoti nulla eſt curatio morbi.

Itaque ſedulò inquire ſtatim utrùm hic affectus à vitio interno, an ab externo prodeat: pro cauſarum enim varietate, curatio eſt varienda, proximam Paralyſis cauſam à duplici fonte repetes, videlicèt ex aliquo ſpirituum animalium & partium nervearum vitio, putà ex ſpirituum penuriâ vel debilitate, ex viarum obſtructione, compreſſione, vel continui ſolutione. Remotam verò cauſam ſi quæras, non una ſed plurimæ obviæ tibi erunt, inter quas temperamentum frigidum humidum primas tenet, ſicut ætas ſenilis, tempeſtas frigida, humida & pluvioſa, at humores frigidi crudique quantam habeant vim ad affectum hunc inducendum, ſi non docuiſſet Hypocrates ipſa demonſtraret

Adagii celebritas, confirmaret rationis autoritas, frigida nervis inimica. Quis enim neget humectatione & refrigeratione nimiâ fibras & tendines resolvi, atque ita Paralysin induci? Quare senes & infantes semi-Paralyticos scitè vocat Etmuler, quoniam infantibus, inquit, fibræ & tendines copioso rore nutritio irroratæ, laxæ & flaccidæ sunt, & propter deficiens robur movendis membris sunt impares: in Senibus verò, exhausto rore nutritio, succedit sæpè sæpiùs aquositas serosa, aut alia similis quæ laxando fibras & tendines, reddit illos semi-Paralyticos. Eòdem recidit quod observatum est à multis, lintea madida diutiùs collo gestata nervos laxare, & in partes influxum spirituum prohibere, ac proinde Paralysin inducere.

Præter causas remotas hactenùs recensitas; occurrunt etiam innumeræ: putà nimia sanguinis jactura, narcotica medicamenta, & vapores narcotici, halitus è mercurio elevati, qui enim mercurium sæpe contractant, sæpiùs in Paralysin incidunt, vinum copiosiùs epotum Bacchi nutritios reddit huic morbo mirùm quantùm obnoxios: eidemque sunt affines satis homines quibus tumores nervis adjacentes sunt nervorum præcisio, & vertebrarum luxatio. Quin etiam ad hunc disponunt affectum res quas vocant non naturales, ut alimenta crassa, frigida flatuosa, somnus immodicus, vita otiosa ac sedentaria, consuetæ cujusdem evacuationis suppressio, uno verbo humorum in musculosas nerveasque partes metastasis, perindè ac nimia humorum in nervos delatorum, impactorum, viamque spiritibus præcludentium viscidiras & copia. His adde curas, animi pathemata, eaque omnia quæ transpirationem prohibent, si enim hæc minus quam par est, bene peragitur, necessum est nerveas partes inquinatis inebriari humoribus, unde flaccidiores fiunt & laxiores, adeòque earum imminuto vel abolito elatere ad motum & sensum ineptæ redduntur. Quænam in Paralysi prognosis sit instituenda? inquiris; accipe sis, torpor & stupor, paresis seu mollificatio quæ à nonnullis minor Paralysis vocantur, resolutionis prodomi sunt. Particularis Paralysis universalem portendit. Periculosa censeatur resolutio Apoplexiam consecuta

hancque nisi citò succuratur, illa facilè & quasi è vestigio revocat. Apoplexiæ debilis pedissequam esse dixeris Paralysin, adeó individua illius comes est: adeò periculosa: at nemo negaverit illam esse periculosam, sive ætati senili, sive etiam cuilibet alteri, dùm frigiditas & atrophia resolutis in partibus observatur. Quod si valetudinis propè desperatæ ægrique tantùm non conclamati, signa illa sint, non desunt alia quibus ad benè sperandum uti tibi liceat. Siquidem dùm tremor Paralysi supervenit, tunc benè licet ominari de affectu recenti, bonum etiam accipias in omen, si pars Paralytica calida fuerit, si formicationis sensus percipiatur, tunc enim spiritus in partes nerveas priús obstructas influxum sibi moliri credas, undè spes motûs redituri: denique boni est ominis alvi fluxus aut febris superveniens, sæpiús enim contigit ut duplici illâ viâ Paralisis fuerit fœliciter soluta.

V.

QUÆ cura debeatur Paralisi, obscurum esse non potest, si modò quæ diximus attentè recolas. Sensûs motûsque reditum cupis, de spirituum animalium influxu promovendo satage, quo videlicèt musculorum vis suscitetur, & fibrarum elater restituatur, in quo sanè attendenda est diligenter ipsa ut ita dicam Paralysis ætas: aliam enim recens ac nova, aliam inveterata, & quasi jam radicata Paralysis medelam postulat. Venæsectio quæ laudabilem ab initio morbi locum obtinet, eodem inveterato suspecta videtur, hanc sanè chronicis in affectibus parùm aut nullateûs prodesse compertum est: atque id in Paralysi eò certius est, quòd partes spiritibus adeòque viribus depauperatæ hanc innoxiè ferre nequeant evacuationem, quâ Paralyticorum vires jam augustos intrà limites contentæ magis ac magis debilitantur. Apagesis igitur venæsectionem, ubi morbus altas egerit radices, quia vires potiùs quàm morbum infringit: nisi fortè ratione evidentis plethoræ celebranda veniret. Sed ut morbi illius curatio clariùs appareat, distingue illius tempora. Ineunte morbo potiones emeticæ & catharticæ quidus humor morbificus excussus faciliùs eliminatur, fœliciter solent usurpari: neque negligenda sunt topica, putà frictiones, fotus ex aqua vitæ, Reginæ Hunga-

riæ, vel ex decocto cephalico, linimenta verò cùm axungiis taxi, cati, vulpis, anseris *&c.* solitò parata quæ poros obstruunt non ita probantur, nisi commixta cum oleis penetrantibus & resolventibus, velut aromaticis, vel cum decoctis cephalicis herbis, ut sunt betonica, salvia, lavendula, ros marinus, primula veris, baccæ juniperi, & folia lauri. Quis non videt balsamum ex his omnibus compositum vel peruvianum magno esse adversùs hunc morbum subsidio. Singulare quidem tibi videbitur remedium à Celso inventum, sed tamen à pluribus Medicis approbatum, videlicèt partis resolutæ viridibus urticis cæsio. Jam verò si Paralyseos inveteratæ curationem assequi tentas, res prorsùs ardua, nec quâlibet anni tempestate suscipiendâ: vix enim tempore brumali tibi succedet, cùm perspiratio tunc omninò ægrè fiat, ac multominùs sudor elici possit, quem sanè ad hujus affectûs extirpationem, usquè adeò necessarium esse diuturna docuit experientia, ut præcipua salutis spes in sudoriferis sit hactenùs constituta. Interim ad rerum non naturalium usum diligenter est attendendum, sedulo cavendum, ne à frigore externo incautiùs admisso pori constipentur, insensibilis transpiratio sistatur: idcircò in locis moderatè calidis Paralyticos contineas, eupeptum sed parcum iis consule victum, somnum prolixiorem prohibe, utque felix esse possit remediorum eventus, summa quies animi imperanda. Quod si paralyticos memineris etiam pravorum indigenâ humorum minerâ non esse vacuos propter languidas coctiones, jubebis quoque illos uti catharticis enematibusque identidem repetitis quibus humores illi amandentur: sic etiam fit ut natura quæ in illis solet esse pigra, & officii quandoque immemor tempestivè stimuletur, videturque periculum satis in hac re commune, ne corpus excrementis refertum curationem retardet. At oleum & operam perdis nisi ad sudorifera proram vertas tuam; omnem enim implent paginam, totumque absolvunt opus in hoc affectu extirpando: horum viribus cum plurimi morbi chronici nullis anteà remediis superabiles sensim victi cesserunt, tùm vel maximè Paralysis feliciter evanuit. Neque verò audiendi sunt qui rejectis spretisque diaphoreticis diuterica suadent, hâc ratione ducti quod cum per

sudores tenuibus evacuatis quæ crassiora sunt, ea magis incalescant, immò etiam & crassiora reddantur, ac proindè ad motum & evacutionem difficiliora, diureticis opus esse videatur ad ea faciliùs educenda. At esto in morbis quorum causa primis in viis hæret diaphoreticorum intempestivo usu, id incommodi contingere posse: in Paralysi tamen nullum habet locum, quippè cum ejus causa in ambitu corporis sæpè sæpiùs existat, quomodò & quæso ad urinæ vias deferri iisque eliminari poterit: cave tamen ea ne adhibeas quæ sudores citiùs potentiùsque movere solent: ita enim sanguinem attenuant, ejusque serum ita absumunt; ut iis imprudenter adhibitis nihil ferè ampliùs in vasis, nisi terrena crassaque materia remaneat, unde circulationis segnities, materiæ secretionum defectus, palpitationes, & certus corporis suo defraudati genio marcor: sed præmissis præmittendis mitiora præscribe sudorifera, qualia sunt salsaparillæ, radicis Chinæ decocta, quæ blandè massam sanguineam agitando, heterogeneas ejus partes ad ambitum corporis amandant, earumque evacutionem meatibus apertis idoneè moliuntur.

Sed quid immoremur? ad borbonienses thermas tanquam ad sacram confugiamus anchoram. Tacitis ac lentis illæ quidem sed certis prorsùs ac securis armis hostem debellabunt. Exemplo sit hemiplexia quæ licet efficaciorum vim remediorum omnem eludere soleat, benignis tamen harumce thermarum virtutibus cedere nescit. Quid in aliis Paralyseos speciebus non est ab his aquis sperandum? epotæ sanguinique transmissæ, viis illis quas primas vocamus expurgatis, huic fluiditatem conciliant, & versùs corporis ambitum pravos propellunt humores poris eliminandos, exteriùs veró adhibitæ, tum balneo, túm vel maxime stillicidio omnibus aliis præstant auxiliis, nec mirúm; cúm enim penetrantibus tenuissimisque constent thermales aquæ particulis necessum est eas super affectam partem per irrigationem deciduas cutis repagula reserare, humores impactos & hærentes attenuare, dissolvere & sudores elicere. Hinc fibrarum nervearum causâ morbifica expeditarum elater restituitur motusque tandem ac sensus quorum cessatione constituitur Paralysis, feliciter quasi postliminio revocantur. *Ergo Paralysi Thermæ Borbonienses.*

QUÆSTIO MEDICA.

An læsæ Chylosi Aquarum Thermalium Borboniensium potus.

I.

QUIBUS fovenda esset vita, iisdem destruitur, tanta nunc est hominum perversitas, ut in perniciem meliora vertantur velut infinita propemòdum singulari Divinæ Providentiæ concessa nobis alimenta. Verùm quò salubrior est ciborum usus; eò etiam perniciosior abusus. Cupiditatibus semper servimus, libido juventutem corrumpit; virilitatem vexat ambitio; angit senectutem avaritia; sic trahit sua quemque voluptas. At intemperantia omnes & ætates & conditiones lacessat; unica duntaxat nascendi ratio datur. An plurima leto patet via, is suffocetur in aquis, iste ædificii ruinâ apprimatur, alius torreatur igne, gladio, ferro interficiatur alter, gula ipsa sola plus occidet quàm gladius, cunctaque lethifera, quæ quidem? quod mirum est, omni marte homo conatur eledere, dum ab intemperantiâ quasi securus per eandem præceps ruit in interitum, adeò invaluit imtemperantiâ, ipsam verò coercere hic labor, hoc opus est, licèt Medicorum Nutrix dicatur, ea tamen ab ipsismet quasi plerorumque morborum causa semper increpabitur.

Ad generaliores quæ morborum statuuntur, causas, attende quæso, videlicèt ad aëris inclementiam, pravam corporis conformationem & errorem in victu; vix & duodecim morbis, unum prioribus hisce causis adscripseris, cùm omnes ferè pravæ diætæ imputare licebit: reverâ aëris inclementia per raró nos afficit, quosdam tantummodò debili vel malè conformato corpore afflictos videre est at in victu plerique committunt errores, ita ut morbificarum causarum feracior jure meritò existimatur; & in eo magis redarguendus homo? aëris enim inclementiam (si fortè irrepat) vix potest evitare, si

naturæ viribus, atque dotibus non sit ornatus, dolenda sors ejus; verùm intemperantiam cùm fugere deberet, ejusdem mancipium fit, tunc omnem in se transferat culpam, eamque luat, necesse est.

O illum fortunatum nimis qui paucis simplicibusque contentus eduliis saluberrimè vitam agit, & iis quos non est meritus, morbis minimè laborans, mortem quam nec cupit, nec timet, placidè præstolatur: interim dum vivit, dies super dies adjiciens, & spe & usurâ gaudet vitæ beatioris. Neque solam longævitatem sobrietas efficit, verùm & alios multò majoris prætii fructus pollicetur. Audi Divum Augustinum, sobrietas est recti judicii tenax, memoriæ recordationisque inseparabilis sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, studiorum & artium bonarum pariter & Magistra ingeniorum. Sic per sobrietatem semet beare licet unicuique. Sic plerique avertentur affectus.

Inter pravos tot affectus, qui suum intemperantiæ debent ortum, læsa Chylosis choream ducet, cunctisque ferè aliis ansam præbebit. Juxtà vulgare axioma, vitium primæ coctionis non corrigitur in secundâ, multò minùs in tertiâ; improbus enim Chylus, pravam diathesim suam sanguini impertitur, sanguis inquinato Chylo saturatus pravam secretionibus materiam suppeditat, massaque sanguinea pravis inebriata succis, iniquum istud fœdus respuens;, pro variâ pravorum succorum indole, mox lento, mox præpropero gradu procedet, mox coagulationis, mox dissolutionis maculâ inuretur. Partes verò solidæ vitiosis nutritæ succis ab acrioribus marcessent, vel tumidæ crassioribus, secretionibus efficiendis impares evadent. Hinc animalis œconomia pessum itura est, nisi restituatur Chylosis. Quemadmodum est sanitatis fautrix dum ritè fit; sic dum malè perficitur nutrix fit ægritudinis; at quia lento passu functiones lædit, indè minùs formidolosa videtur, huicque tardiùs medela adhibetur, altas verò ubi egit radices ægrè profligatur, innumeros ante, quos vocant chronicos, affectus paritura.

Quæ

II.

QUÆ nutritionem efficiunt functiones, primum humano in corpore locum sibi vindicant, quia à nutritione est individui conservatio, vitaque brevi deficeret, nisi cibis assumptis subindè fieret reparatio partium quæ exercitiis, vigiliis maximè verò insensibili transpiratione continuo dissipantur. Porrò triplex nutritioni famulatur actio, nempè Chylosis hæmatosis & omoïosis.

Inter eas Chylosis primaria est; de causis ejus ita discrepant autores, ut nulla quæstio in Physiologiâ magis unquam agitata fuerit; ita mundus regitur opinionibus. Alii calorem vel facultatem concoctricem, alii fermentationem, triturationem alii; hi extractionem, elixationem illi: nec desunt qui putrefactionem admittant. Verùm tres potissimum floruere sententiæ, videlicèt Galenicorum, Mechanicorum & Chymicorum de iis pauca: age dum? Galenicorum opinio quæ calorem vel facultatem concoctricem pro Chyloseos causâ statuit propter summam Galeni autoritatem diù viguit, atque tantummodò obsolevit, ex quo Neoterici antiquitatis jugum excusserunt, rati solum calorem Chylosi perficiendæ imparem esse, concoctricemque facultatem velut chimæram rectè pronunciarunt. Etenim quo pacto pisces qui cuncta inter animantia optimè digerunt, chylificare valerent, quippè qui frigidum sanguinem, frigidum proindè ventriculum habent, omnem verò calorem cujuscumque partis à calore sanguinis procedere quis ibit inficias. Quomodò Melancholici felici gaudentes appetitu, ideò voraces & famelici dicti, frigido tamen ex ipsismet Galenicis temperamento donati, digestionem possent efficere. Quid plura? calido præditi temperamento, æstuantiumque regionum Incolæ, faciliùs citiùsque cibos essent concocturi si calor Chyloseos causa foret, verùm cùm contrarium observetur, calorem Chylosi perficiendæ haud sufficere fateantur. Sed concoctricem obtrudant facultatem, futile prorsùs effugium! ubi primùm ex partium structurâ & mechanismo functiones explanari potuerunt; missæ fuerunt facultates nunquam revocandæ.

Minùs ne risum moveret facultatis imaginariæ amator, quàm

qui in horologio facultatatem horarum indicativam, à ponderibus, rotulis, acu, cœterisque à quibus componitur horologium, diversam, fingeret. Quoniam omnes corporis functiones partium solidarum fluidarumque ministerio subtractis facultatibus ut in automatis, mechanicè possunt explicari, quorsùm supponamus rationis entia. Vindicatur quidem ab hoc vitio sententia Mechanicorum, nihil supponens quod reipsa humanâ in machinâ non existat, singulisque palmam præriperet si graves contrà eam propositas objectiones diluere valeret. Chylosin per triturationem fieri docent, quâ nihil aliud intelligere est quàm ciborum divisionem, attritionem, seu comminutionem à motu tunicarum ventriculi, quem occilatorium viscus ad cibos triturandos statuunt; idque plurimis plausibilibusque ratiociniis probare conantur. Nam 1o. Naturam suis in operationibus uniformem semper simplici gaudere Mechanismo verisimile est. Nullus autem tritu simplicior datur Mechanismus, super est igitur ut natura in obeundis functionibus suis, tritum adhibeat. 2o. Præterea tritus cunctas corporis functiones dilucidè exponit. 3°. Organa tritûs ejusque agentia in corpore tàm sentibilia sunt, ut ejus existentia negari non possit; enim verò tria, ut inquiunt, ad tritum concurrunt, liquor diluens, vas coercens & vis conterens, hæc omnia in corpore adsunt, tritus quidem incipit in ore liquoris diluentis, id est salivæ dentium que ministerio; augetur in ventriculo, in quo alimenta subiguntur, atteruntur pultaceumque in liquorem rediguntur, tunicarum cibos continuò agentium auxilio velut à vase coercente: tandem in intestinis elaboratur, diaphragmate, hepate, abominisque musculis tam quam vi conterente undequaque comprimentibus. 4°. Ventriculi structura tritui favet quam maximè; est enim ventriculus quasi saccus quidam membranaceus multiplici fribrarum ordine instructus, quæ tot obtinent nervos quot musculi validiores; idcircò hæ fibræ musculosæ functiones musculorum obeunt, cibos proinde conterere, dividere possunt, quod etiam confirmare contendunt ex clavium vel metallorum in ventriculum fortè illapsorum lævigatione. Hæc omnia sanè ingeniosa sunt, nequè Mechanicis debita laus detrahenda, quod enim

ventriculi motum ad Chylosis elaborationem conferat jàm dudùm est in confesso, nihilominùs tritus pro solâ genuinâque Chyloseos causâ non videtur admittendus, cum gravissimas patiatur difficultates. Jam primò inter agens & patiens justam debere esse proportionem docet axioma; quænam verò reperitur inter debilem ventriculi tunicam & alimenta subindè solida, ut ossa cartaligines & legumina; inter insensibilem stomachi motum, & ciborum dissolutionem adeò perfectam, ut organa magis conterentia eam æquè citò producere vix valerent. 2°. Simplex tritus transmutationem alimentorum ad nutritionem necessariam perficere nequit. 3°. Ventriculi nostri structura demonstrat hoc viscus triturationi minùs esse destinatum, utpotè longè absimile ventriculo ruminantium. 4o. Diaphragma & abdominis musculi ad triturationem non inserviunt, sed alios prorsùs usus obtinent, videlicèt ad pectoris dilatationem, respirationem. 5°. Fames tùm naturalis tùm præternaturalis in hac hypothesi vix explicatur, maximè verò pica quæ longe probabiliùs à fermentorum vitio & diversitate repetitur. 6o. Digestio hydropicorum & gravidarum per tritum explicari nequit, licet mechanici contendant fibrarum elaterem eò magis augeri quò magis extenditur fibra, quod in fibris hydropicorum gravidarum que contingit. At ex his sequeretur fibras hydropicorum gravidarumque majorem exercentes nisum, faciliùs triturare posse, quod experientiæ refragatur. 7 . In triturationc facilè non explicatur quare fames intensior sit hieme, digestioque felicior, scio equidem quod id ab auctâ musculari vi & à majori tunc temporis omnium musculorum robore & impetu ventriculi abdominisque comprimentis fieri doceant, hoc tamen facilè non crediderim; quia fibræ hiemali frigore torpentes ad contractionem minùs aptæ videntur, undè minor vis muscularis. Si addant majorem esse liquidorum in musculos hieme influentium quàm æstate molem, adeòque majorem vim, in promptu est quod respondeam; quamvis enim in ascite major sit liquidorum in abdominis musculos moles, proindè non melius perficitur digestio. 8°. Non benè constat quomodò nutritio fierì posset si Chylosis à trituratione proveniret; quia finis triturationis est alkoolisatio liquidorum, verùm si liquida

alkoolisarentur nutritioni inepta evaderent, quia neque adjungi, neque cohærere possent in locis deperditionem passis.

III.

PER fermentationem quâ cibi mutantur in Chylum, noli intelligere magnam notabilemque effervescentiam, velut chimicis in operationibus per salium heterogeneorum commixtionem observare est; sed blandum dumtaxat motum seu levem à gastrico excitatam agitationem, succo, quo cibi imprægnati insensibilem suscipiunt fermentationem & in materiam quamdam albam, Chylum vocatam, rediguntur adjuvante motu peristaltico, non secùs ac leni quodam ventriculi adjacentiumque partium calore. Proindè primaria chyleoseos causa in fermentatione statuenda est, cujus agentia, succus salivalis, gastricus, pancreaticus & biliosus, dicuntur, officina verò ventriculus; materia : cibi; finis proximus : præparatio cibi; remotus tandem : corporis nutritio individuique conservatio.

In ore Chylosis inchoatur, sed elaboratur in ventriculo, atque in intestinis perficitur, cibi enim ore assumpti, salivâ imbuti, primam subeunt dissolutionem, si solidi sint dentibus anterioribus inciduntur, posterioribus confringuntur, deindè hùc & illùc voluti linguæ Pharingisque musculorum ope deglutiuntur ac in ventriculum protruduntur, cujus succo imprægnati, ejusque motu commixti blandè fermentescunt, & ab ejusdemfermento minutasdividuntur in particulas,donecdissolvantur, & in chylum convertantur, Chylus sic confectus per dextrum ventriculi orificium seu pylorum vermiculari motu in intestina tenuia defertur, in quibus bilioso pancreaticoque succo diluitur, fluidior redditur, ultimamque subit mutationem, pars ejus purior lacteas venas ingreditur, feculentior in intestina crassa præcipitatur foras eliminanda. An acidæ vel alcalinæ prosapiæ sit succus gastricus, acris inter phisiologos disputatio. Dominus Astrucius alcalinum esse existimat, nonnulli leviter salsum esse dicunt. Plerique veró Autores alii acidum volatilem esse contendunt, utrimque variæ rationes, variaque experimenta afferuntur, verùm cujuscumque sit diathesis fermentationem ciere potest dum cibis com-

miſcetur, principiis enim tùm acidis tùm alcalinis referti ſunt cibi, proindè ventriculi fermentum cum ciborum fermentis facilè fermentationem valeat inducere. Quod digeſtio fiat per fermentationem : probatur ex eo quod conditiones ad conſtituendum fermentum requiſitæ reperiantur in ſucco ſalivali, gaſtrico & bilioſo, enim verò partes fermenti ſalinæ heterogeneæ & liquidæ eſſe debent at hæc tria in ſuccis aſſignatis demonſtrat analyſis chimica: undè ſequitur hos ſuccos vera eſſe fermenta, proindè fermentationis cauſam cenſendos eſſe, an veró de hiſce rebus Mechanici conveniunt, minimè quidem ? variaque contra hanc Sententiam dubia proponunt, videlicèt 1°. nulla fit in ventriculo fermentatio, quia chylus liquori fermentato abſimilis eſt ; quandoquidem per diſtilationem ſpiritum ardentem nullatenùs ſuppeditat, quem tamen corpora fermentata ſuppeditant, ſi mechanicis fides adhibeatur: verùm hæc ratio nullius eſt momenti, quippè ex omni corpore fermentato, ſpiritum ardentem ſemper non elici docet experientia.

2°. Si digeſtio per fermentationem fieret, eó faciliùs perficeretur quò faciliùs alimenta fermentationi apta ſunt, at Chyloſi nihil tàm obſtat quàm tales cibi, velut ceraſa, fraga, melopepones, & plures alii fructus. Ad quod reſpondere eſt hos fructus propter eorum principia minus unita promptiorem ſubire fermentationem, ideò antequam à fermentis digeſtivis corrigantur aceſcunt foras, ejiciuntur, cruditates & diarrhœas, in debilibus ſtomachis efficere ſoliti.

3°. Si fermenta darentur in ventriculo, in ipſummet agerent eumque diſſolverent dum cibis eſt vacuus, ad hoc reſpondetur, quod non agant niſi proportionata habeant corpora velut alimenta in quæ dumtaxat agunt : at id vitium longè faciliùs triturationi imputandum foret.

4°. In humano corpore fermentatio nequit admitti, quippè quæ requirit ſpatium amplum ; at attendant cavitatem ſtomachi ſatis amplam eſſe, ut motus iſte fieri poſſit, ſi regerant ſtomachum prorsús plenum chylificare non poſſe, concedendum eſt quidem tunc difficiliùs digerere quàm dùm minús eſt plenus. Chylificationis durationem, non

facile est certò assignare, variat enim Chyloseos tempus pro diversitate ætatum, regionum, tempestatum, & temperamentorum, ratione assumptorum solidioris aut mollioris substantiæ, ratione quantitatis eorumdem aut preparationis, ratione probæ vel pravæ masticationis, minùs verò ratione famis denuò supervenientis, ut nonnulli volunt, enim verò Pueri, & helluones novas escas post cibum ipsum sæpè sæpiùs appetunt: in genere tamen & ut plurimùm intrà sex vel septem horas absolvitur chylificatio citiús quidem in vigilantibus quàm in dormientibus.

IV.

CHYLOSIN triplici modo lædi posse docent pathologici vel enim prorsùs aboletur, id est cessat velut in apepsiâ vel imminuitur, id est tardiùs, imperfectiùsque perficitur, ut in bradipepsiâ, aut depravatur, id est secùs sit ac deberet, ita ut alimenta in qualitatem à naturâ alienam permutentur, sicùt in dyspepsiâ. Porrò tres hæ differentiæ læsæ Chyloseos, unico cruditatis nomine comprehendi solent.

Cruditas autem duplex videlicèt acida & nidorosa constituitur, hanc calidis, illam frigidis de causis procedere putabant veteres, acida cruditas dicitur ea in quâ cibi malè subacti ob nimiam fermenti aciditatem, vel propter aliud ejusdem vitium depravans digestionem, acidum exhalant odorem: Sylvius istud symptoma à succo pancreatico, vel redundantiâ, vel aciditatis intensione peccante, & ad ventriculum delato deducit. Nidorosa cruditas illa est in quâ alimenta pravè fermentata, ob menstruum à lixivioso bilis sale seu sulphure depravatum, halitus, pisces corruptos aut ova putrefacta redolentes, emittunt.

Cruditatis principium non ab intemperie frigidâ quàm perperàm veteres incusabant, sed à vitiosâ ciborum fermentatione repetenda est. Verùm fermentatio quatuor potissimùm causis vitiari potest. 1° Ob fermenti culpam. 2°. Propter pravam ciborum qualitatem, vel eorumdem quantitatem: 3°. Ob humores in stomacho stabulantes, vel hùc à m. s. delatos: 4°. Propter Chyloseos organi, id est ventriculi debilitatem vel ejusdem visce-

ris affectum, videlicèt stomachi relaxationem, excoriationem & obstructionem. Succus gastricus cum præcipuum sit fermentationis agens, ita debet esse constitutum, ut neque citiorem neque tardiorem ciere valeat fermentationem, sed proportionatum ejus activitati, & ciborum dissolutioni tempus requiritur, undè fermentum nimis activum, atque ut loquntur Chimici, exaltatum, fermentationem inducit promptiorem, fermentum verò nimis hebes & iners languidiorem & tardiorem, priùs in calidis seu biliosis: posterius autem in frigidis seu pituitosis observatur temperamentis. Secretionum fontem à massâ sanguineâ manare constat, fermentum ventriculi cum nihil sit quam humor à sanguine sequestratus in tunicarum stomachi glandulis hujusce secretionis organis, de sanguinis indole participat, talis enim sanguis, tales secreti humores: idcircò sanguis volatiliori, acriorique coinquinatus bile eandem labem secretionibus infert, non secùs ac sanguis sero copiosiori acidiorique dilutus, secretiones ejusdem diatheseos est præstiturus, hinc pro temperamentorum varietate variat & vitiari potest chylosis: in biliosis propter bilem quandoque in ventriculum redundantem chylosis pervertitur: hinc cruditates nidorosæ, nausea, vomitus ipse tam facilè superveniunt. In pituitosis verò, quia stomachus serosis humoribus inundatur, fermentum ejus diluitur, iners redditur, & aculei ejus salini irretiuntur; proindè tardior fit chylificatio, vel crudus viscidusque elaboratur chylus, hinc acidæ cruditates, sputationes, dolor gravativus & fluctuatio in ventriculi regione, diarrhœa, nec non obstructiones tot chronicorum parentes morborum, atque hæc præcipua est læsæ chyloseos causa, causæ enim procatarcticæ ex pravâ ciborum qualitate vel quantitate & varietate deducendæ veniunt, quantitatem alimentorum, fermentum gastricum quasi obruere, illudque ad ciborum dissolutionem ineptum reddere nemo est qui non intelligat, sæpè sæpiùs nimia ciborum quantitas ingesta, in acidam abit cruditatem, chilum coinquinaturam, qualitas verò & varietas ciborum, quantùm ad depravandam chylosin conferat omnibus notum est. Cibi pinguiores, succi gastrici activitatem

obtundunt, calefacientes & aromatici ut vini generosioris vel ardentium liquorum pravus usus stomachi menstruum dissipant, ejus membranas corrugant, humorum motum promovendo bilis exaltationi, & ejusdem in stomachum eructationi occasionem præbent, sic chylosin alterant, appetitum prosternunt, alimenta dyspepta, seu coctioni rebellia, carnes sale seu fumo induratæ, legumina, panis non ritè fermentatus & coctus, ob nimiam in ventriculo moram chylosin perturbant, fructus horrarii qui citiùs dissolvuntur ob laxam eorum compagem, chylosin præcipitant. Indebita masticatio graviter lædit Chylosin, undè arabum adagium odit animam suam qui malè masticat. Varietas verò ciborum quot mala non inducit, videlicèt propter eam, nimiùm comeditur, minùs digeritur, minùs perspiratur ac minùs nutritur, hinc Poëta tàm bellè cœnas dubias & ciborum varietatem arguit.

Simul assis
Miscueris elixa, simùl conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Reverà si cum dulcibus acida misceas, pinguia cum macris, pisces cum carnibus, lacticinia cum fructibus, qualis in chylosi à rebus tàm heterogeneis perturbatio; hinc subvertitur aut solvitur ventriculus.

Præterea nimius potus fermentum nimis diluendo, nonnihil habes illud reddit, proindè impar coctioni evadit, fibrarum stomachi tonum lædit, easdem fibras laxas & flaccidas efficit, undè motus peristalticus chyli egressum & distributionem promovere nequit, potus glacie refrigeratus idem affert incommodum in non assuetis, remedia fortiora frequentiùs usurpata stomachum relaxando Chyloseos organum afficiunt. Vigiliæ nimiæ, exercitia violentiora spiritus dissipando digestionem labefactant, gravitatem & fluctuationem in ventriculo concitant: somnus nimius, vel statim post cibum sumptus humorum proventui, & Chyloseos læsioni ansam præbet, at inter res non naturales animi pathemata maximè appetitum dejiciunt, digestionem retardant, hinc cruditates mœstitiæ effectus.

Signa

Signa imminutæ Chyloſeos repetuntur à ructibus, ſtomachi dolore & inflatione poſt paſtum, à phlogoſi in hypocondriis, à difficili reſpiratione, à muco, quo manè plenum eſt os. In acidâ cruditate ructus acidi ſunt, flatus copioſi: quæ fortè per os rejiciuntur viſcida ſunt & acidi ſaporis. In nidoroſâ cruditate ructus fœtidi ſunt, vomitus frequentes, & quæ vomuntur ſubflavi ſunt coloris, tunc æſtus & ſitis à calidis aſſumptis oriri ſolent. Læſa Chyloſis plurimos inducere valet morbos maximè chronicos, ut febres intermittentes, hypocondriacam, & colicam affectionem, alvi fluxum, vomitum, cachexiam, imò & hydropem.

V.

AD reſtituendam Chyloſin varia proponi ſolent auxilia, ubi humorum ſaburra coctiones vitiat, vomitoria ſi cœtera conſentiant, miræ ſunt efficaciæ, tám felices à catharticis effectus ne expectes niſi humores ritè priùs diluti ſint, & ad exitum parati, fluxiles enim ante purgationem ex Hypocratis præcepto, ſunt efficiendi, alioquin purgantia ſuper lentos mucilaginoſoſque ſuccos tantummodò fluentia eos intactos ſæpè relictura ſunt. Quod ad ſtomachica ſpectat, plurima quidem laudantur, at indiſcriminatìm haud uſurpanda ſunt, enim verò alia acidæ, alia nidoroſæ cruditati magis conducunt, in primâ ſpecie non infimum ſibi vindicant locum abſynthium, radix enulæ campanæ & ari ritè parati, mentha, ſemen aniſi, cortex citri, extractum juniperi, vel vinum hiſce medicamentis alteratum, quæ acidum obtundendo & abſorbendo cruditatem acidam emendare, nata ſunt.

In alterâ cruditatis ſpecie, remedia bilem temperantia velut cremor tartari, ſuccus citri, conſerva roſarum vitriolata, ſuum invenient locum. At Aquæ Thermales Borbonienſes in utroquè affectu licèt inveterato palmam cœteris remediis præripiunt quotidianâ teſte experientiâ, dummodò corpus ſiccioris non ſit conſtitutionis, ſtomachus & alia viſcera non ſint exſiccata & corrugata ab acrioribus humoribus, dummodò Æger non ſit maraſmo conſectus, aut quâvis febre correptus, in hiſce caſibus à Thermalibus Aquis prorsùs abſtinendum eſt. Porrò Borbonienſium Thermarum naturam ſcrutari ſi velis, facilè tibi innoteſcet quo pacto ab ipſis multiplex læſæ coctionis

vitium corrigi, proindè Chylosis restitui valeat. Crudos ac tenaces succos præcipuam hujus affectûs causam esse quis ibit inficias, verùm quoniam nullum aptiùs cruditatibus medicamentum opponatur quàm diluentia, palàm est Aquas Borbonienses mirificè conferre; cùm longè faciliùs quibusve diluentibus, emolliant, diluant & evacuent; diluentium autem variæ sunt acceptiones, eorumque variæ species, neque hoc nomine potulenta tantùm intelligenda veniunt, præter aquam; serum lactis, quarumdem herbarum decoctiones, quas Apozema vocant, & ex variis granorum generibus cremores, sorbitiones & pulmenta; diluentium vocabulo insigniuntur; sed Aquæ Borbonienses utpotè calidæ & salino sulphureæ cunctis diluentibus præstantiores, non immerito jure inter diluentia primas tenent, ac in utrâque cruditate curandâ omnem utramque absolvunt paginam. Neque mirum videri debet, quia jam primò non solùm humectant, laxant, verùm etiam & incidunt, dissolvunt, atque detergunt, proindè crassiorum humorum evacuationem ritè moliuntur, etenim succi quantùmvis tenaces, si sat benè diluantur, veluti sponte suâ exeunt, neque tantùm humoribus in ventriculo stabulantibus eliminandis conferunt Aquæ Borbonienses, sed etiam hujusce visceris fibræ beneficam earum actionem experiuntur, iisque diversimodè suppetias ferunt, si rigidiores sint, flexiles easdem reddunt, si flaccidiores roborant eas & firmant, quatenùs easdem lentis succis impeditas aut acrioribus crispatas expediunt, earumque elaterem restituunt. Prætereà spiritus in nerveis fibris quasi sopitos suscitant, excretoria glandularum succum gastricum suppeditantium vasa reserant, idem in intestinis præstant, succos tàm biliosos quàm pancreaticos si fortè inertiores sint, actuosos magis reddunt. Hinc facilior Chyli secretio, uberior distributio, uno verbo felicior chylificatio, tandem verò, ut Chimici amant lòqui, vitiosas à pravis humoribus inductas fermentationes sedant, tumultuosas componunt effervescentias, bilem in ventriculo fortè eructatam deprimunt, atque coagulationes præpediunt. Sic succus gastricus sui juris factus, ad ciborum dissolutionem magis valet, sic fermentatio rectiùs perficitur, sic chylificationis organum ro-

boratum, & à pravis expurgatum humoribus suo probè fungitur munere, motus peristalticus restauratur, sepositisque omnibus obstaculis, faciliùs Chylo sternitur iter, ut quâ datâ portâ faciliùs in massam sanguineam distribuatur. Quid plura, quocumque modo Chylosin explicare libuerit, Thermæ Borbonienses eam pristinum in statum restituere possunt. Verùm si tot proprietates habeat harum aquarum internus usus, nonne earumdem stillicidium quod vulgò *Ducciam* vocant, suprà partem affectam, id est stomachi regionem convenire potest Minimè verò; multiplici enim experientiâ manifestum est stillicidium suprà viscera graves iisdem inferre noxas: hanc temeritatem vituperasse videtur Horatius in Epistolâ XV. agendo de Thermis clusinis.

Qui caput & stomachum supponere fontibus audent.

Idcircò in læsâ Chylosi stillicidio stomachum supponere non licet, quia stillicidium præcipitantiùs agit, & magis commovet humores, alia igitur externa remedia ad coctionèm juvandam si cupias, petere potes ex variis oleis aromaticis destillatis, ut ex oleis menthæ, caryophilllorum, cinanomi, macis, juniperi, quibus stomachi regio illinitur, hæc conferre quidem possunt ad ventriculum corroborandum, verùmtamen Aquarum Borboniensium potus hæc omnia longè superat.

Ergo læsâ Chylosi Aquarum Borboniensium potus.

QUÆSTIO MEDICA.

An Rheumaticis Ischiadicisque doloribus Aquæ Thermales Borbonienses.

I.

TRIPLEX datur principium, videlicèt Pneumaticum, fluidum & solidum. Quo vulgares machinæ solent moveri, ita tamen ut unum aut alterum sufficiat, sicut in musicis organis, molendinis, aliisque benè multis palam est machinis. At corpus humanum quasi hydraulico pneumatica machina,

cœteris longè præstantior ac elaboratior, tria illa prorsùs exigit principia, putà spirituum influxum, fluidorum motum, solidorum elaterem; quibus ritè concurrentibus moles ejus agitatur, vita fovetur. spiritus quidem licèt non magis aurâ pistrini rotas versante sensibus obvii sint, nihil certiora suæ qu m ipsamet aura dant existentiæ indicia, quin imò infinita propè corporis organa citiùs faciliùsque subeunt ac movent quâm secundus naves impellens ventus. Quis autem de ventorum existentiâ, quod sub sensus non cadant, nisi ineptè dubitet. Quod solidis fluidisve partibus functionum munus debeatur, res ipsa loquitur ex harumce agentium harmonicâ ratione sanitatis integritas; ac nisi mutuas sibi ferant suppetias, tota compages mox est dissolvenda. Bonum enim ex integrâ causâ; malum autem ex quocumquè defectu, ubi vitium capit pars aliqua, mox cœteris illatura est; adeò mirandus est partium consensus, tanta est inter illas relatio, sic comparata est humana machina, ut triplex assignatum principium concordem ad sanitatis præsidium conferre debeat operam, ac primòquidem spiritus, sensationis scilicèt motionisque instrumenta, pacatè ut par est suos in tubulos influere debent, si dùm fluunt; ab incongruâ objectorum tangibilium impressione contingit eos affici, tunc irritati impetuosiùs refluunt in emporium, nerveasque fibras inordinatè; ac interdùm ad crispaturam usque convellunt, quo pacto dolorifica sensatio excitatur, vel inordinata motio perficitur.

Quod ad fluida spectat in vasis neque exuperare, neque deficere expedit; si fortè redundant, jam quid solida tunc non moliuntur ad volumen fluidorum minuendum, quot succussus & vibrationes ad vincendam eorum resistentiam. hinc tremor & horror febres aliosque morbos antecedens. Verùm si deficiunt fluida, tunc solidorum impetus cùm perferre nequeant, hùc & illùc agitantur & vitiato æquipondio sublatoque unionis principiorum massæ sanguineæ vinculo, sales, sul-hura aliaque principia sui juris reddita prævalent, hinc humorum dissolutio aut coagulatio, uno verbo alteratio, ni redeat æquilibrium, sanitas ipsa redire non potest; vitiati causam æquipondii in elementorum dissidio, in humorum discordiâ, vel in

acidi cum alkali luctâ, vetus est cantilena. Quorsùm tâm altè res repetatur.

Occultæ transpirationis opus indaga penitiùs & accuratiùs pensita, tot systematibus impedita hactenùs, ne dicam confusa morborum causa faciliùs tibi innotescet, qui transpirationis, ille & hominis naturam nescit. Quanta sit insensibilis transpiratio, quantùm eadem ad sanitatis conservationem, aut amissionem faciat, non solùm ex Sanctorio, verùm etiam ex Boyle, aliisque præstantissimis viris in re staticâ versatis, luculenter constat, aureum de medicina staticâ opusculum veritatem hanc apertè tibi demonstrabit, ac edocebit *insensibilem transpirationem solam solere esse longè pleniorem quam omnes simul unitas* Aphor. 4. s. 1. *prateretà si cibus & potus unius diei sit ponderis octo librarum, transpiratio insensibilis solet ascendere ad quinque libras.* Aphor 6. s. 1. Verùm hæc cumgrano salis accipienda sunt, sicut ipsemet laudatus Sanctorius in sequenti aphorismo monet, *quantitas*, inquit, *respirationis insensibilis aliquam patitur varietatem, pro varietate natura, regionis, temporis, ætatis, morborum, ciborum & aliarum rerum non naturalium.* Neque enim exìstimes in Galliâ Regione temperatâ eandem esse ac in Italiâ plagâ longè calidiori transpirationem; verùm si transpiratio occulta cœteras evacuationes sensibiles in Galliâ non superet, aut saltèm suppar est, quandoquidem clarissimus Lister in Angliâ supparem esse refert; à fortiori in Galliâ, cùm Angliâ ad polum septentrionalem magis accedat, idcircò in meridionali Galliâ multò magis copiosa est transpiratio quàm in septentrionali. Tanta verò in Italiâ perspiratio adscribenda est calori quo humores magis attenuantur, rapidiùs moventur & glandularum cutanearum orificia magis relaxantur, non absimile feratur judicium aliis de plagis pro ratione caloris. Æquo tenore fieri debet perspiratio *ut sanitas conservetur, verùm & usque ad extremam senectutem inculpata perseveraret si corpora quatuor anni temporibus æquali pondere semper conservarentur.* Aphor. 54. s. 2.

Ideò nunquam intercipitur transpiratio absque sanitatis detrimento *dum natura in perspirandi officio impedita est, incipit statim in multis desinere.* Aphorismi. 41. s. 1. quam

facilè tamen impeditur, cùm vel levissima causa ipsi possit officere, proindè facilè vitiatur in humoribus æquilibrium, facilis in morbos est lapsus. At hæc etiam explicanda clariùs; proindèque quantùm sat est abstrusum transpirationis opus evolvamus.

II.

TRANSPIRATIO & sudor per cutem aguntur. Illa quidem fit continuò, sed tacitè sub formâ halituum ac fuliginis: hic rariùs quidem, sed confestim sub guttularum condensatione, præcipua utriusque organa in poris constitue; poros verò tanquam excretoria cutanearum seu miliarium glandularum vasa respice. Ex Malpigio nerveis instructi sunt pori fibris quibus aut laxantur pro ratione sive copiæ materiæ transpirandæ, sive motus sanguinis tàm intestini, quàm progredientis: aut stringuntur à causis externis, *v. g.* à frigore: ex his velut siphunculis serosi humores exiliunt. Quod si sensibus evacuatio percipitur, sudor tunc vocatur; si verò sensus eludit, tunc insensibilis transpiratio dicitur; neque aliud inter utramque transpirationem licet constituere discrimen.

Materia transpirationis non aliundè manat quàm ex sero versûs corporis ambitum unâ cum massâ sanguineâ delato. Dùm inferiùs deducitur, materiam urinæ conflat; undè fit ut dùm copiosè secernitur urina, sicut hieme, vix sudemus; è contrariò dùm liberaliùs sudor erumpit velut æstate, parciùs mingimus. Sanguinis latex duplici quo gaudet motûs beneficio, jugem diversis materiam præbet secretionibus quibus ut sufficere valeat, chylo variis cibis conflato quotidiè restaurandus est. Tot inter secretiones, aliæ nobiliores, viliores aliæ. Inter primarias recense spirituum sequestrationem, humoris salivalis, gastrici, pancreatici, biliosi, lactei transcolationem. aliæ utpotè superfluæ suo tempore & per suas vias sunt eliminandæ, ut fæces, urinæ, mucus narium; sed transpiratio omnium evacuationum largior, continuò fieri debet, ita ut quòd per sanguinis circulum unâ vice non fuerit secretum, alterâ secernetur, ut sanguis à particulis heterogeneis effœtis & superfluis vindicetur.

Sic corporis œconomia novas & continuas indesinenter

molitur secretiones, uno verbo tota est in secretionibus tàm per vias manifestas, quàm per occultas. In triplici Physices regno transpiratio dominatur, in animantibus quia faciliùs innotescit & copiosior est, nomen istud retinet; in vegetabilibus & mineralibus effluvium vocatur, quamvis in mineralibus non adeò sit manifesta, verùmtamen corpora solidissima continuum pati effluvium nemo dubitat.

Plurima transpirationem conservant & promovent; juventus nempè, aër purus, serenus, siccus, vernum æstivumque tempus, exercitium moderatum, cibi solidi, leves & boni succi, levissimæ potûs aquæ, gaudium; cùm nihil magis liberam reddat perspirationem quàm animi consolatio, secundùm Aphor. 6. s. 7. tandem somnus moderatus benè tecto corpore transpirationi favet.

Verùm plurima transpirationem perturbant, tresque internæ causæ transpirationi adversantur, scilicèt *occupatio naturæ*, *diversio* (ut Sanctorianis utamur vocabulis) *& vires imbecilles.* Externæ verò causæ perspirationem prohibere solitæ; sunt imprimis aër frigidus nocturnus potissimùm, aër coenosus, humidus, tempestas tùm autumnalis, tùm hiemalis, violentum exercitium & ventus; ideò à vento adiapneustia, cibi crassi, difficiles concoctu; *ubi coctionis difficultas*, inquit Sanctorius, *ibi perspirationis tarditas, quandoquidem tria ob ciborum diversitatem eveniunt mala scilicèt nimùm comeditur, minùs coquitur minùsque perspiratur*; præterea tempus minoris transpirationis est cùm stomachus plenus est præcipuè varietate edulorium, comestio post immodicum corporis vel animi, exercitium, tunc statim vesci malum cum corpora ægrè perspirant, intermissio exercitii corporis vel animi; tandem verò animi pathemata, velut tristitia quæ perspirationem crassorum excrementorum perspirabilium impedit, hæc omnia ex Sanctorio transpirationem occultam perturbant, sed maximè aura nocturna; transpiratio enim ab austrinâ aurâ frigidiusculâ in dormienitbus quàm in vigilantibus ab ingenti frigore magis prohibetur. Quod quidem in Italià contingit faciliùs; quemadmodùm dies ibidem calidiores, ita noctes è contrariò frigidiores existunt, idcircò ne corpus frigoris injurias incurrat,

noctu vestibus illud ritè muniendi est consuetudo; id si fortè omittatur, non impunè fertur (hinc adeò periculosa per noctem in quibusdam Italiæ tractibus fenestrarum apertio) dormientes cùm copiosiùs & faciliùs sudant & transpirant, citiùs ac faciliùs frigoris transpirationem, sudoresque cohibentis noxâ afficiuntur qu m vigilantes, in quibus neque tàm larga est corporis exhalatio, neque tàm facilè sistitur, quamvis intensius sit frigus; minùs tamen in iis transpiratio prohibetur: verùm in Galliâ ubi minor est nocturna transpiratio, propter constàntiorem dierum noctiumque æqualitatem, tantùm ab aurâ nocturnâ frigidiusculâ non infertur incommodum.

Nihilominùs frequentes ab eâ oriuntur affectus, tanti est momenti æqualem fovere transpirationem, quæ si fortè sistatur, retentæ sordes, & in vasis hærentes, ea implent, sanguinem fœdant & inquinant, ac vires inimicas nocentesque contrahunt: vel in ductibus impactæ viam humoribus intercludunt; quæ claustra cùm sanguis perrumpere non potest, in itu suo redituque impeditus sistitur, corporique ac valetudini vim infert, ut egregiè Clarissimus Bergerus observavit. Reverà suppressis retentisque effluviis sanguinis circulus debilitatur, pravi cumulantur humores, viscera opplentur, & omnia evadunt deteriora, ut ait Clarissimus Behrens. Quid plura *ex Aphor.* 51. *ſ.* 2. perspirabile retentum ut acre facere solet febres erysipelata; ut copiosum; aposthemata, cachexiam, distillationes, seu catharros quibus dolores rheumatici ischiadicique suas debent natales; uno verbo omnes ferè malæ valetudines à vitiatâ transpiratione contingunt.

III.

FLUXIO tàm universalis est morborum causa, ut omnes ferè creare valeat affectus.

Si stagnat in capite, cephalalgia, hemicrania, quandoque soporosi affectus, imó & Apoplexia. Si detrudatur in nervos, paralysis aut convulsio pro diversâ fluxionis indolè superveniet, at exteriores capitis partes percurrit! oculorum narium, aurium inducentur affectus: si suprà dentes humor excutiatur, odontalgia excruciabit: si feritas ejus irruat in fauces, tussis, angina, catharrus suffocabit, at in pectus fertur, quales ibidem

ibidem tragœdias agit? Peripneumoniâ pulmones excandescent, asthmate prementur, tabescent in pthysi vel in hæmoptysi dissolventur.

Verùm si stabulatur in ventriculo serosa colluvies, tunc fastidium ciborum, apepsia, nausea, vomitus eam subsequentur. Si veró ingruit in intestina, colicos dolores, alvi profluvia efficiet. Si extravasatur in abdomine, tunc ascites orietur. An verò hæret in hepate mensenterio, liene & renibus! obstructiones tumores, scirrhi, nephritis producentur. An propellitur in cutem? nisi transpiret, pruritus, scabies, impetigo, œdema, erysypelas, cachexia provenient, quod si suas in artus vires exerit; hinc varii pro varietate partium affectus; si in brachiis ferociat humor: rheumatismus, si in manibus: Chiragra, gonagra in genubus, in pedibus: Podagra; in femore aut ischio: dolor ischiadicus; si in lumbis rheumatica lumbago sentietur: si totum per corpus errat, universalis arthritis dicetur. Denique nulla ferè morbi species quàm fluxio invehere non possit. Tot inter fluxionis species, haud infrequenter rheumatismus occurrit qui vulgò audit fluxus serosi humoris per totum ferè corporis habitùm, potissimùm articulos brachiorum & humerorum à pravâ Chylosi, vel à prohibitâ transpiratione excitatus. Dùm serosus humor transpirandus intrà fibras & musculorum carnes retinetur, ibi acessit, vitiatur & levi de causâ dimotus in easdem partes irruit, tàmque atrociter lancinat ut acutos pariat dolores, remissiores quidem videntur quandoque pro humoris devii indole. Rheumatismo obnoxii sunt præ cœteris sanguine ætateque florentes, eoque frequentiùs autumnali hiemalique tempore, vel dùm cœli perturbatio imminet; quia mutationes temporum potissimùm pariunt morbos, corripiuntur, tunc variis conqueruntur de doloribus, maximè in brachiis, in humeris, dorso, musculis intercostalibus, in articulis, sed magis in partibus circumjacentibus, præsertim in finibus musculorum quâ parte ligamenta & tendines ossa amplexantur, ipsique musculi mutuo nexu fulciuntur: aliquando rheumatici dolores vagi sunt, aliquando etiam ac ferè momento temporis interna petunt, & áb unâ in aliam partem tran-

siliunt, ideò arthritis vaga à nonnullis vocatur. Interdum hypocondria afficiunt absque lienis aut hepatis vitio, cave igitur ne rheumatismum cum horumce viscerum affectibus confundas.

Præterea non rarò flatus fibras carneas pungentes quæ distendentes rheumaticum dolorem mentiuntur. Rigor & horror quem levis aliquando febris brevi cessatura excipit, rheumatismi solet esse prodromus: sæpè dùm serenam ad faciem dies mutatur, desinunt spontè dolores vel sudatiunculâ, vel erumpentibus menstruis & hæmorrhoïdibus evanescunt, in hoc vulgari fugacique rheumatismo functiones non admodùm languent, nec color valdè excidit, deindè ad munia solita reditur alacriter. At quandoque humor rheumaticus tantâ depravatur acrimoniâ ut dirum morbi genus evadat & crudeliter artus divexet, tunc stabilis dicitur, remediis haud facilè cessurus, febre ut pleriùmque stipatur, necnon aliis symptomatis, purà siti, anxietate, noctu exarcerbantibus, nec malè luis venereæ vel scorbuticæ affectionis cruciamenta æmulantibus, & affectos diutiùs lecto affigit lentamque febrem quandoque accersit.

Porrò rheumatismus vel universalis vel particularis, in priori, quandoque membris omnibus capti videntur ægri quandoque sed rarissimè relinquitur ad motum impotentia non tàm à nervorum compressione quàm ab intenso dolore præ quo musculi in motum agi nequeunt, proveniens. Rheumatismus non secùs ac arthritis cui est affinis (utriusque enim communis est materia, & valdè lubricus etiam est ejus in arthritidem transitus) in calidum & frigidum discriminari potest. Prior febrem ferè semper comitem habet, dolores parit acutiores quidem at multò breviores, à calidis recrudescit. Posterior dolores creat prolixiores at leniores, rarò febre stipatur, calore sublevatur. Uterque juvantibus scilicèt & lædentibus, temperamento, regione tempestate causarum morbificarum varietate dignoscitur: calidus à biliosâ acrique, frigidus verò à serosâ acidâque colluvie procedit, quod Hyprocratis doctrinæ quadrat. Nam in libro de affectibus, agendo de articulari morbo sic loquitur, hîc morbus

à bilè fit & pituitâ cùm commota in articulos incubuerint. Neque existimes affectum rheumaticum antiquis ignotum fuisse, quandoquidem illius adumbratio : 1o. Apud divinum Senem in libro mox laudato reperitur, ubi hæc legere est. Articularis morbus cùm tenuerit, corripit calor & dolor corporis articulos, corripit autem acutus, & in alium atque alium dolores incumbunt, tùm acutiores, tùm molliores; neque verò de arthritide dumtaxat verba facere Coum existimare licet, cùm statim subjungat, podagra violentior est omnibus ejusmodi circà articulos morbis & diuturnissimus ac ægrè cedens morbus; & id suadet rheumatismum ab Hypocrate designatum fuisse in morbo articulari seu arthritide vaga, quæ à multis rheumatismus vocatur : 2o. Illius mentionem facit Cælius Aurelianus, qui leviter quidem sed satis clarè rheumatismum tetigit, dum ait, *libr. de Peripneumoniâ*, est autem passio acuta, strictura suffecta levi fluoris humore quem vocant rheumatismum : 3o. Apud Galenum & Plinium; quædam de affectibus rheumaticis brevis quidem pariter ac expressa fit mentio : quod si non sufficienter à pluribus aliis delineata fuit hæc affectio, illud fuit quòd olìm vel rariùs sæviret, vel pro arthritide vagâ haberetur.

Quamvis rheumatismus arthritidi valdè sit analogus, plurimis tamen modis discriminari valet uterque affectus. Nam primò differt ab arthritide, quod in illo longè mobilior sit humor, nesciatque stare loco, quoniam intrà fibras & musculorum membranas divagatur; in hâc verò intrà articulos stabulatur, concrescit tumores rubicundos, nodosque aliquando paritura, at experientiâ constat in rheumatismo rariùs tumorem, inflammationem colorisque mutationem dolentibus in partibus apparere : 2o. Differt ab arthritide quod cùm illo febris sæpè jungatur, in hac vel numquam vel rarissimè, nisi solùm cùm primùm artus adoritur : 3o. Cùm dolor rheumaticus deserit; partes ad motum faciles ut plerùmque remanent, secus in arthritide quæ postquam desierit, magis affectas deserit particulas, tandem verò rheumatismi paroxismi non ita periodici sunt ac in arthritide.

Rheumatiſmi geneſim ab æſtuante jecinore placebat antiquis repetere, adeòque non aliam hujus Ferini ac mordicantis ſeri rheumaticos dolores creantis quam vivifici nectaris ſcaturiginem eſſe exiſtimabant. At ubi primùm dignitate ſuâ dejectum fuit iſtud viſcus, multis etiam malis infamari deſiit. Omnis igitur rheumaticæ productionis culpa ipſum in ſanguinem eſt transferenda: dùm ſcilicèt ille crudiori viſcidiorique chylo ſaturatus, uberiorique ſero acidiori vel potiùs acriori, ut placet Clariſſimo Medico Anglo id variis probante experimentis diluitur, vel propter pravam Chyloſin, vel propter frigus intempeſtivè admiſſum, ſicut egregiè Clariſſimus Sydenham obſervat: rheumatiſmus, inquit, hac plurimùm occaſione naſcitur ſi Æger ſcilicèt ſive exercitio aliquo vehementiori ſive alio modo excalefactus, mox repentinum frigus admiſit.

Neque tamen inficias ibo, res alias quas videlicèt non naturales vocant, ad hunc affectum diſponere, eumque multùm fovere, ſicut ſunt conſtitutiones aëris auſtrinæ inæquales, frequentiùs aquilonares & frigidæ, ex quibus illæ ſanguinem attenuando, hæ verò cutis poros conſtipando atque ſic perſpirationem cohibendo, rheumatiſmi cauſam promovere ſolent. Cibi crudi acidi, phlegmatici, ſalſi, vina nova & ſubacida, ſomnus prolixior maximè in loco nocturnis expoſito vaporibus, humidioribus in locis habitatio, undè milites tam facilè in obſeſſionibus & caſtris morbum hunc contrahunt. Vigiliæ immodicæ maſſam ſanguineam excalefaciendo, attenuando, ſerum ejus adaugendo & depravando rheumatiſmum inducunt, quod liquet ex ſanguine rheumaticorum miſſo, in ſeroſitates abeunte, ità vehementius exercitium humores exagitans cui repentinum frigus tranſpirationem cohibens ſuccedit, vehementia diuturnaque animi pathemata poſſunt etiam huic affectui anſam præbere. Si immoderata ſint non hunc tantùmmodo ſed alios bene multos affectus inducere valent.

IV.

PAUCA quidem ſatiſque obſcura de rheumatiſmo apud Hypocratem invenire eſt veſtigia, at plurima luculentaque de iſchiade extant; hic affectus à parte corporis quæ patitur, nomen accipit; vis ut ſedes ejus clariùs tibi inno-

tescat, brevis coxæ anatomicaæ descriptio prælibanda venit. Os coxæ vel coxendicis, passim innominatum, frequentiùs *Ischion* dictum, situm est utrimque ad latus ossis sacri, insignis est magnitudinis & figuræ valdè irregularis; primâ ætate tribus constat ossibus, illio, ischio & pubis per cartilaginem junctis quæ postmodum ita coalescunt, ut in adultis nulla aparcat illorum distinctio, undè in iis unicum est, cujus tamen tres diversæ partes, dicta tria nomina retinent, habet *Ischion*, amplam profondamque cavitatem seu sinum acetabulum dictum pro capite ossis femoris excipiendo insculptum, circumducitur ipsi circulus Cartilagineus Supercilium dictus, inserviens firmitudini articulationis, inter hoc os & os femoris (uti fusiùs docet Clarissimus Verehen, de re anatomicâ benè meritus) in hisce partibus; ischiadici doloris sedes statuitur, maximè in earum articulis adeò ut ad poplitem, suram & ad extremum pedem dolor consequatur: quod fit propter nervos à lumbis & osse sacro emergentes, qui ad coxendicem feruntur, & indè ad femur, tibiam & pedes disseminantur, ut Riverio placet; hinc spiritus his in nervis contenti irritantur, & doloris sensationem ad extremum pedem excitant, dolor iste tolerabilis quidem interdum est, at sæpiùs tantus est ut acerbiores æmuletur, adèò ut ischiadici noctes transigant insomnes, summis assiduisque excrucientur doloribus. Tàm acris est humor ischiadem pariens nutritiumque succum ita alterat, ut partes eo irrigatæ aliquando contabescant, & sæpè decurtentur laxato articulo & femore à sede suâ dimoto. Et duplici fonte ischiadem procedere docet divinus Senex, videlicèt à bile & pituitâ, hinc ischias alia frigida, calida alia, hæc bili illa pituitæ adscribatur, fit etiam ex his causis, si quis inquit Cous, diutiùs in sole versetur, & coxendices calefacti fuerint, & humor qui est in articulis à calore fuerit resiccatus; at in hisce climatibus vix ac ne vix quidem ab eâ causâ provenire observatur, fit quoque à sanguine; sed hoc intelligendum est à sanguinis serò acidiori vel acriori. Gravis est & valdè diuturnus hic affectus & sæpè quadragesimum ad diem protrahitur, nullus tumor, nulla inflammatio colorisque mutatio in ischiade appa-

ret ; quia humores eam inducentes, in profundiores partes multâque carne contextas sese insinuant, & ad corporis superficiem ipsamque cutem usque, non diffunduntur; ideò tàm difficile è suâ sede excuti possunt. Verùm tàm diù quandoque stabulantur, ut globosum femoris caput validis licèt conjunctum vinculis è sinu suo excidere cogatur, fiatque luxatio, quia ligamentis relaxatis extensisque ab humoribus mucosis, & crassioribus, femoris caput in acetabulo suo nequit amplius coerceri: Aphorismus 59. *s.* 6. hos humores mucosos esse docet; *quibus diuturno coxendicum dolore infestatis coxa excidit, rursumque incidit, iis mucores superveniunt.* Luxationem verò claudicatio sequitur, & totius cruris tabes atque atrophia, ex subsequenti Aphorismo, *quibus diuturno coxendicum dolore infestatis coxa excidit, iis crus contabescit & claudicant nisi urantur*; quod contingit, quia os è suâ sede dimotum, musculos, nervos & arterias comprimit, undè motus impeditur nutritiusque succus inferiores in partes deferri & otiosam in partem influere nequit, quod enim somnus est visceribus, id labor est articulis.

Præter has causas dantur & aliæ ischiadem accersere valentes, ut intensi frigoris susceptio, terrena cubatio, casus, percussus, hæmorrhoïdum supressio, vehemens abductio, telluris fossio, conatus in pondere levando. Omni ætate ischias potest contingere, potissimùm in mediâ, licèt in juvenibus ischias brevior sit quam in senibus; verùm tamen doloris acerbitate non cedit. Omnibus etiam temporibus fieri potest ischias maximè hieme, hinc hypocrates in coacis, quibus ritè valentibus hieme frigus est, & circà lumbos, atque gravitas levi de causâ, tùm alvus subsistit infera, & supera in officio est convenienter, iis vel ischias vel renum dolor, vel stranguria fortè contingit, id verò fit per μεταπτωσιν materiæ contumacis, quæ firmiter fixa diù hæsit in lumbis, nec exitum habuit per alvum superam neque per inferam. Idcircò pro variâ humoris inclinatione contingit vel renum dolor, vel stranguria vel ischias, affectus de quo sic cecinit Serenus.

Sæpius occultus victa coxendice morbus,
Perfurit & gressus diro languore moratur.

V.

EXPLANATIS affectuum causis, curatio faciliori marte suscipitur, siquidem omnis ratiocinatio ad invenienda media curæ congrua, dirigenda est: secùs jejuni prorsùs ac futiles discursus, quia non verbis sed factis ægri curantur. Esto Medicus ex ratiocinatione expromat, quæ cum in medelæ cognitionem deducere valent; benequidem? at hæc judicio dùmtaxat tenere non satis est, cum rationibus conveniat experientia, necesse est, speciosis argumentis firmatum systema, experimentis verò destitutum quàm primúm ruit. At enim, ut nostra sententia huic non sit increpationi obnoxia; inquirere libet utrùm ratiocinationibus experientia respondeat. sed planè decisa lis est, si rheumaticos & ischiadicos qui Borbonienses ad thermas confugerunt; consulas, non secùs ac celebriores de rheumatismo scriptores velut clarissimum D. Dumoulin: reverà cuncta sibi in hisce affectibus suffragia vindicant thermæ; nihil enim in his thermis desideratur quod rheumatismo vel ischiade laborantes curare aut saltem plurimum sublevare non valeat, an respicis has salutares aquas velut internum remedium, dùm potantur, inter diluentia sunt recensendæ; ad eliminandam causam morbificam miræ sunt efficaciæ; primas vias elutriant, stomachus ab iis mundatur, chylus proindè faciliùs elaboratur, purior in massam sanguineam defertur eamque ab humoribus serosis tùm per urinas, tùm per sudores expediunt thermæ. Succi devii & inter menbranas musculorum debacchantes ab aquis thermalibus diluuntur, contemperantur, & deindè faciliús ad consueta excrementorum salinorum receptacula & emunctoria, videlicèt cutem ducuntur, viscidiores verò & in repagulis concreti dissolvuntur, & per poros eliminantur, hinc impedita transpiratio sui juris facta causam morbificam tàm antecedentem quàm conjunctam, feliciter solvit. At fortè conjuncta, dolentibus partibus inhæret pertinaciùs, quam ut thermopotatione è sede suâ detrudi queat, agesis: potentius auxilium in balneo sed potissimum in stillicidio superest auxilium, utramque modis non valde absimilibus conjunctam

causam extricare possunt; ac primòquidem balnea humiditatē aquis omnibus essentiali poros reserant, relaxant, sulphureo salinoque quo ditescunt principio, cutis sordes eluunt, ita faciliori uberiorique transpirationi, quin imò sudoribus ansam præbent, quod balneationi cedere nescit, stillicidio subjice, nullum hactenùs reperire licuit præsidium ad humores concretos, jamque diù sopitos evocandos valentius, cuticulam quippè calefacit, penetrat, dessicat, frigidiores discuttit humores partesque humoribus vitiosis impeditas expedit, debilitatas corroborat, sed absit ut Borboniensium thermarum stillicidio caput pectus vel abdomen exponas, ne periculosa fiat in hisce visceribus humorum dissolutio quâ inundari aut suffocari possunt.

Licèt innoxiè nonnullis in thermis suprà caput vel pectus accipiatur stillicidium, illud tamen borbonii ægris minimè succedit, tantummodò rheumatismo vel ischiade partes affectæ stillicidio subjiciendæ sunt. Thermæ; nobilè quidem præsidium sed tempestivè, nec nisi ab ægro bene præparato sunt usurpandæ, præmittantur universalia, ut loquuntur, operæ prætium est: venæ sectio unanimi medicorum consensu suadetur in rheumatismo, eaque aliquoties repetita, quod ad ischiadem spectat unâ vel alterâ vice sufficit, at magna inter Medicos de missionis loco discordia, propter autoritatem galeni suadentis venæ sectionem ex poplite in coxendicis.

Vis adhibere fidem experientiæ, litem paucis dirimes; venæ sectionem in poplite vel malleolo rariùs coxendicos juvare observarunt graves Practici, atque in promptu est ratio, quia partes magis impletæ gravantur, cum repentè vacuata loca in semet materiæ fluxum invitent: sicut probè notavit Cælius Aurelianus, itaque túm in rheumatismo, túm in ischiade phlebotomiam ex brachio parti dolenti opposito suadere pronum est; in paroxismis maximè celebranda venit. Dúm atroces vigent dolores, nec aliis datur locus remediis, ne humor magis atque magis ferociat, topica tantúmmodó adhibere licet; inter ea laudantur fomentationes è balsamo vulnerariis aromaticisque plantis composito, non secús ac aqua Reginæ Hungariæ & spiritus vini sapone impræguati fotus, panis

panis calidi, aquâ vitæ irrorati applicatio non rarò dolores mitigat: cucurbitulæ scarificatæ non parùm rheumaticis auxiliantur, in ischiade vesicatoria multùm conferunt, quippè quæ humores coagulatos, crassos & hætentes dissolvendi, attenuandi, & è parte affectâ evocandi vim obtinent, à cucurbitis etiam affixis meliùs habere ischiadicos docet Medicinæ Princeps, & cauteria in diuturnâ ischiade, ne fiat claudicatio, præscribit. Arenarum atque arundinum remedio confirmatum fuisse Augustum Cæsarem ischiadicum refertur, sed hæc methodus de quâ cæteroquin non benè constat apud Autores, obsolevit. Extrà paroxismum vel desinente dolore, purgantia quæ vocant hydragoga commendantur.

Laconica cujuscumque sint naturæ aliquando plus afferunt detrimenti quàm auxilii & suspecta videntur; cum sæpè sæpiùs articulos retrahant sicut vinacea; cavesis etiam à pinguibus & oleosis, ut pote poros obstruentibus, resolventia tantùm atque penetrantia, ut oleum lauri in usum vocari possunt, quibus suppressa est solita evacuatio hirudines utiliter admoventur. quandoque tamen ischias doloris acerbitate vel diuturnitate, curæ difficultate, recidivæ facilitate tam molestus est affectus, ut omnium remediorum vim eludat, immò potiùs ab iis exacerbari videatur; potissimum ea quæ à causâ biliosâ seu calidâ provenire existimatur, nihilominus illa lenientibus anodynis & balneis temperatis mitigari valet. Sed rariùs in hisce regionibus, talis species ischiadis observatur, ideò sicco pede eam prætermittere videntur Autores; Videantur Skenkii observationes. Ut plurimùm enim frigori post calorem suscepto vel transpirationi quocumque modo suppressæ, suum debet ortum, tùm rheumaticus, tùm ischiadicus affectus, & vulgatiùs commodiùsque uterque remediis sudorem cientibus, transpirationem restituentibus solvitur. Hinc ptisanæ sudoriferæ tam egregium in hisce morbis præstant effectum, sed palmam illis præripiunt thermæ ex eo quod alia remedia alteutram dumtaxat morbi causam debellare possint, cum thermæ utramque videlicèt antecedentem conjunctamque feliciter fugare valeant.

Ergo doloribus rheumaticis ischiadicisque Aquæ Thermales Borbonienses.